P.F. FRANCISCI DE CRYPTIS CASTRI... DISQUISITIONES THEOLOGICO-MORALES EX...




BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
43
9 B
20
FONDO FROKENSE

P. F. FRANCISCI
DE CRYPTIS CASTRI

Ex-Lectoris Sacræ Theologiæ Scholastico-Dogmaticæ, olim Cleri Tudertinæ Diæcesis Examinatoris Pro-Synodalis, ac Custodis Provinciæ Seraphicæ Reformatæ D. FRANCISCI

DISQUISITIONES
THEOLOGICO-MORALES

Ex solidioribus Fundamentis excerptæ, ad Conscientiarum errores expendendos, atque Religionem a recentiorum impiorum, libertinorumque contradictionibus vindicandam, accomodatæ,

ATQUE IN TRES PARTES DISTRIBUTÆ

PARS SECUNDA.





ASSISII MDCCXCIII

Ex Typographia Sgarigliana. Sup. Permissu.

Labia Sacerdotis custodient Scientiam, et Legem requirent ex ore ejus.

Malach. Cap. 2. V. 7.

Miminerit Sacerdos se speculatorem esse cunctorum, ut Ovibus pascuas salubres tribuat, Agnis puri fontis undas exhibeat, extermine: ab Ovibus lupos, ab Agnis nocivas bestias excludat, vulneratos curet, errantes revocet, ignaros instruat, erigat lapsos, generaliter omnes, specialiter singulos doceat.

S. Chrysostom. Hom. de eo, qui incidit in latrones.

INDEX

Quæstionum, quæ in hac Secunda Parte continentur.

Numerus Arabicus paginam, Romanus quæstionem indicat.

IN QUARTUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

Disquisitio Prima.

Disquisitio Secunda.

Disquisitio Quarta.

Disquisitio Quinta.

Disquisitio Sexta.

Disquisitio Septima.

Disquisitio Octava.

IN SEXTUM, ET DECIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

Disquisitio Prima.

Disquisitio Secunda.

Disquisitio Tertia.

Disquisitio Quarta.

Disquisitio Quinta.

Disquisitio Sexta.

Disquisitio Septima.

Disquisitio Octava.

Disquisitio nona.

Disquisitio Decima.

Disquisitio Tertia.

Disquisitio Quarta.

Disquisitio Quinta.

Disquisitio Sexta.

Disquisitio Septima.

Disquisitio Octava.

Disquisitio Nona.

Disquisitio Decima.

Disquisitio Undecima.

Disquisitio Vigesima.

Disquisitio Vigesima Prima.

Disquisitio Vigesima Secunda.

IN OCTAVUM DECALOGI PRÆCEPTUM

Disquisitio Prima.

Disquisitio Secunda.

Disquisitio Tertia.

Disquisitio Quarta.

Disquistio Quinta.

Disquisitio Sexta.

IN PRIMUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM

IN SECUNDUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM

Disquisitio Secunda.

Disquisitio Tertia.

IN TERTIUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.

Disquisitio Unica.

IN QUARTUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.

Disquisitio Vnica.

IN QUINTUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.

Disquisitio Vnica.



IN QUARTUM DECALOGI PRÆCEPTUM

DISQUISITIO PRIMA.



PHædrus cum quibusdam aliis Mercatoribus quoddam Monopolii genus secretò instituit, quo pauperes maximopere anguntur: Camillus ejus Filius miseratione erga pauperes commotus, Patrem semel, ac iterum objurgavit, adeout, quæ occulta fuerat, conspiratio patefieret. Hinc Phædrus cum sociis in judicium vocatus, plura jure perpessus est; atque in Filium indignatus, quasdam nactus occasiones, eumdem e Domo ejecit: Camillus idcirco in extremas calamitates prolapsus finem nonnisi Patris morte habituras, mortem hanc non præoptare nequit.

Quæritur 1. *An peccaverit Camillus Patris Monopolium detegens?* 2. *An hanc ob causam Pater jure indignatus eum e domo ejecerit?* 3. *An in iis circumstantiis mortem Parentis Filius desiderare queat?*

RESOLUTIO.

I. INcæptam Moralium Disquisitionum seriem ad Decalogum pertinentem progressuri, expletisque, quæ in observandis tribus prioribus Præceptis juxta Sacrarum Scripturarum Oracula, & Ecclesiæ Traditionem firmiter teneri debent; Alteram de quarto Mandato pertractationem nunc discutiendam, perficiendamque exhibemus, etiam atque etiam obsecrantes D. O. M., ut res ad majorem sui gloriam, Ecclesiæ Catholicæ utilitatem, nostrumque omnium instructionem, cumulatum undequaque exitum consequatur.

II. Quartum Decalogi Præceptum hisce Verbis inculcatur. *Exod.* 20. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi*. Honor vero Parentibus debitus tria expostulat, nempe, Amorem, Reverentiam, & Obedientiam. Amor exigit, ut Parentes summa post Deum dilectione prosequamur; Quippe si cæteros homines diligere sicut nosmetipsos jubemur; quid dicendum de iis, per quos nati sumus? Hinc *Ecclesiast. Cap.* 7. Deus hoc Præceptum confirmans, inquit: *Honora Patrem tuum, & gemitus Matris tuæ ne obliviscaris: Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses*. Reverentia exposcit, ut iis omnia Observantiæ signa exhibeamus: Hinc in Scripturis summis laudibus commendatos legimus Josephum, & Salomonem, dum primus e curru prosiliens

siliens senem Patrem veluti e Cælo missum suscepit. Alter vero dum Matrem sibi obviam venientem aspiciens, e Throno in terram descendens, Eam adoravit, collocavitque ad dexteram suam. Obedientia denique exflagitat, ut mandatis ipsorum obtemperemus, & consiliis acquiescamus. Unde Ecclesiastici *Cap. 3.* dicitur: *Qui timet Dominum, honorat Parentes, & quasi Dominis servi & his, qui se genuerunt*. Quod exemplo suo confirmavit Christus Dominus, qui obediens fuit usque ad mortem, & mortem Crucis. Amor hic, Observantia, & Obedientia, in quibus honor Parentibus debitus consistit, maximam quidem obligationem præseferunt; aliquibus tamen circumscriptam limitibus; scilicet, huic amori valedicere debemus, cum divinæ Legi eumdem adversari conspicimus, dicente Domino *Math.* 10. *Qui amat Patrem suum, & Matrem suam plusquam me, non est me dignus*.

III. Ex hac brevi hujus Præcepti explicatione quæstiones omnes, quæ supra ipsum excitari possunt, facilè terminantur. Nos vero ab illis, quas proposuimus exordiamur, Quæritur primo utrum peccaverit Camillus Patris Monopolium detegens? Peccavit equidem. Quippe S. Paulus 1. *ad Tim. Cap.* 5. scripsit: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem*. Quod expendens D. Thomas 2. 2. *Quæst.* 33. *art.* 4. inquit. *Sciendum est, quod ubi immineret periculum fidei, etiam publice Prælati essent a subditis arguendi. Unde & Paulus, qui erat subditus Petro propter immi-*

minens periculum scandali circa fidem: Petrum publicè arguit. Hinc colligimus amorem, observantiam, atque obedientiam Parentibus debitam parvipendi a Filiis, qui Parentes in crimina prolapsos objurgant, atque publice arguunt; Atque hoc dumtaxat faciendum esse dum ex ipsorum sceleribus Fides Christiana periclitatur. Atqui ex monopolio, quod Camilli Pater instituit, nullum orthodoxæ Fidei imminet periculum. Ergo Camillus de hoc crimine Patrem publicè objurgans, amorem, observantiam, atque obedientiam Parentibus debitam parvipendit. Neque obstat, quod hoc Camillus fecerit miseratione erga pauperes compulsus. Charitas enim hæc inordinata est; Vt enim habet Ambrosius in Matheum: *Primus gradus pietatis est iste, ut quos Auctores* (& Patres) *tibi voluit esse Deus, honores obsequiis, abstineas contumeliis*.

IV. Altera Quæstio inquirit utrum peccaverit Pater eam ob caussam Filium e Domo ejiciens. Hac de re supervacaneum est quacumque verborum copia ostendere reciprocas intercedere Parentes inter Filiosque obligationes. Nimis hoc in negotio natura loquitur, ostenditque non sine horrore mutuum amoris vinculum inter utrosque abrumpi. Vnde apposite D. Paulus 1. *ad Tim. Cap.* 5. scripsit: *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*. Itaque Pater Filium e Domo ejiciens, & sub extremis calamitatibus demergens curam sane abjecit, quam ab eodem erga Filium Natura

ra exigit, et Paulus exflagitat; peccavit igitur. Scio equidem aliquando Filios e Paterna domo jure depelli; Sed hoc tunc solum licet, cum omnibus ad emendationem obtinendam remediis frustra adhibitis, Filii incorrigibiles perseverant: Quod de Camillo nostro dici nequit, qui ex erronea potius pietate, quam ex aperta malitia peccavit.

V. Tertia Quæstio in eo versatur, utrum nempe Camillus calamitatibus obrutus nonnisi in Patris morte finiendis, mortem Patris optare queat. Huic Quæstioni, quam dirutis undequaque christianæ, naturalisque pietatis fundamentis, affirmative definiebant homines quidam sæculo elapso, Innocentius XI. P. M. finem imposuit anathemate confodiens propositionem asserentem = *Licitum esse absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas*. Revera si infensisimorum etiam hostium necem optare prohibemur sub mortali, Salvatore nostro præcipiente, ut inimicos diligamus, pro ipsis oremus, eosdemque cumulemus beneficiis: Quis sine totius stomachi commotione audire poterit mortem quam, inimicis nos persequentibus, et calumniantibus optare prohibemur, Parentibus desiderare licitum]? Absque peccato igitur nequit Camillus Patris obitum cupere.

Di-

Disquisitio Secunda

Zosimus cum Uxore, et Filiis a pluribus annis hebraicæ superstitioni valedicto, et Christianorum albo nomine dato, Parentes in judaica perfidia dereliquit. Nunc evenit, ut Parentes in summam egestatem prolapsi, Filii domum sæpe veniant, nunc ipsius opem implorantes, nunc objurgantes ejusdem a Mosayca Lege discessionem. Zosimus hac de re illos graviter inclamavit, et obsistentes vi e domo ejecit.

Quæritur: 1. Utrum Parentibus Zosimus præstare teneatur alimenta? 2. An peccaverit ipsos tam aspere e domo ejiciens?

RESOLUTIO.

I. Mutuam Parentes inter, ac Filios dilectionem, quam non in hominibus modo, verum quoque in brutis, belluisque immanioribus Natura fortiter, suaviterque collocavit, ut tum senescentium Parentum, tum enervium Natorum imbecillitas mutuis officiis, auxiliisque facile foveri, firmarique possit, et quam præcipue in hominibus catholica fide imbutis novis, validioribusque repagulis Christiana Religio stabilivit, enormes quidem abusus subdolè irrepentes, adeo plerumque pervertere solent, ut ejus medulla penitus abjecta, ejus loco mendax amor ementitis larvatus vestibus substituatur, atque, ut Salvatoris nostri vocibus utar, infensissimi evadant inimici hominis do-

domestici ejus. Ex hoc veluti ex venenato fonte profluit, ut necessitatis propriæ pretextu abrepti, Parentibus indigentibus necessariam opem Filii præstare non posse arbitrentur. Hoc præsenti in Disquisitione discutiemus; atque demonstrabimus gravissimum extare Præceptum Parentibus pauperibus subveniendi, et Zosimum teneri Parentibus suis in extremas necessitates prolapsis necessaria alimenta subministrare.

II. In præcedenti Disquisitione (n. 11.) demonstravimus hunc requiri in nostra charitate, et dilectione ordinem; nempe, primo loco Deus diligendus est amore omnium maximo; dataque nobis optione eligendi nostrum, omnium simul Creaturarum beatitudinem; aut levem hujus amoris læsionem, teneri omnes quascumque Corporis, et animæ calamitates subire potius, quam injuriam quantumvis levem huic dilectioni irrogare. Secundo loco diligere debemus nosmetipsos; ita quippe a divina Providentia constituti sumus; ut nos nos non amare impossibile sit. Tertio denique loco prosequi amore præcipimur reliquos homines, et in his Parentes primum, et magis. Hoc præceptum sub lethali culpa urget. Hinc Dives ille, qui purpura, et bysso induebatur, et epulabatur quotidie splendide, quia Lazaro necessaria alimenta impertiri noluit, in inferno sepultus fuit. Et Pharisæi, qui Filiosfamilias hortabantur, ut Templo potius munera, quam Parentibus pauperibus opem deferrent, æterna morte plectendos declaravit Christus Dominus *Math. Cap.* 5. Nequo

que hoc charitas dumtaxat jubet, sed justitia quoque: Filii quippe omnia, quæ habent, Parentibus debent. *O Fili*, inquit D. Ambrosius lib. 3. in Evangelium Lucæ, *O Fili quantum tibi sumis judicium, si non pascas Parentem! Illi debes quod habes, cui debes, quod es*. Itaque ex gravi charitatis, et justitiæ præcepto tenetur Zosimus Parentibus suis in extremis calamitatibus constitutis necessaria tribuere alimenta.

III. Neque obstat, quod Parentes ipsius obstinati in judaica perfidia perseverent: Non enim ex infidelitate Naturæ vincula abrumpi queunt, quibus proximis nostris, et præsertim Parentibus arctissime illigamur, quomodo luculentissimis verbis Legis Perito significavit Salvator noster in celebri illa Parabola de homine, qui a Latronibus in via plagis confossus, relictusque semivivus a Samaritano misericordiam accepit, uti *Lucæ Cap.* 10. legitur.

IV. Utrum vero Zosimus peccaverit Parentes suos asperrimis verbis increpans, et vi e domo ejiciens; observandum est, utrum ex ea Parentum consuetudine, atque quærelis aliquod Zosimo periculum amittendæ fidei suboriretur, necne. In primo Casu bene se gessit Zosimus; Ut enim habet D. Hieronymus in *Math. Cap.* 10. *Hic ordo in omni affectu necessarius est. Ama post Deum Patrem, ama Matrem, ama Filios*. Si autem necessitas venerit, ut amor Parentum, aut Filiorum Dei amori comparetur, et non possit utrumque servari; odium in suos, pietas in Deum sit. In se-

secundo autem casu, secluso, nempe, quocumque sui, et suorum spirituali periculo, Parentes contumeliis excipere, atque vi e Domo ejicere licite nequit Zosimus. Amor enim, Obedientia, et Honor Parentibus debitus tunc dumtaxat parvipendi fas est, cum amori Dei, et Animabus nostris adversatur.

Disquisitio Tertia.

Eugenius pravam habens cum Fulvia consuetudinem, quam nunquam satis abiecit, a Confessario consulitur, ut ipsam uxorem ducat. At Parentes hujusmodi matrimonio adversantur, quinimmo jubent, ut Cleviam in Matrimonium accipiat.

Quæritur 1. Utrum Parentes licite urgere possint Eugenium, ut Cleviæ nubat? 2. An in iis circumstantiis Eugenius peccet Parentibus non obediens?

RESOLUTIO

I. EX ipsomet veneroso fonte, quem in præcedenti Disquisitione indicavimus, (n. 1.) derivantur lethales illæ consuetudines, quibus Parentes falso domestici splendoris, utilitatis, et boni colore decepti, Filiis has, et non illas Fœminas nubendas præcipiunt; Et vicissim Filii adversus Parentum voluntatem eas sibi in uxores Mulieres eligunt, quas effrenis potius cupiditatibus, quam ratio-

rationi consentaneas concipiunt. At velint nolint, inconcussum est, in electione Status, omnium, et præsertim Parentum interesse summopere, ut id Filii eligant, quod magis Animarum saluti, quam domesticis commodis utile conspiciatur. Hinc nec Parentes licite Eugenium urgere possunt, ut uni determinatæ Fœminæ nubat; et vicissim nec Eugenio fas est unam peculiarem fæminam præ aliis, ejus reluctantibus Parentibus, in uxorem sibi eligere.

II. Nostra assertio, nempe, Parentes licite urgere non posse Eugenium ut Cleviæ nubat; et proinde Eugenium non peccare si hac in re Parentibus non obtemperet, ex principiis præcedenti in Disquisitione (n. II.) stabilitis sponte sua derivatur. Etenim Parentes Filios suos præ cæteris hominibus diligere tenentur; Amor hic primum Animæ bona, deinde Corporis commoda spectare debet. Filium cogi, ut Mulieri nubat, cui ejus indoles adversatur, perinde est ac *flammis undam, et lucem copulare tenebris*, ut loquar cum Poeta. Sane quot mala ex hujusmodi Matrimoniis exoriuntur? Equidem si Matrimonia illa, quæ mutuo partium amore stabiliuntur, tam sæpe in inimicitias acerrimas erumpunt, quid dicendum de iis, quæ in ipso quoque exordio illo mutuæ dilectionis igniculo carent, qui a divina Providentia homines inter, et mulieres positus fuit, ut essent duo in carne una? Sint sane ad res familiares augendas talia Matrimonia utilia; at Filiis reluctantibus nunquam absque gravi culpa præcipi queunt, ob spiritualia pericula, et incom-

mo-

moda, quæ necessario progignunt. Hinc Eugenius si sui inclinationem Cleviæ indoli nequaquam congruere posse sentiat, non peccat dum eam in uxorem ducere, et Parentibus obedire recusat.

III. Dixi, si sui inclinationem Cleviæ temperamento, moribus, et indoli ne utiquam consonare sentiat. Fieri enim posset, ut nullam repugnantiam adversus Cleviam Eugenius experiretur, sed in pravis Fulviæ amoribus demersus, et dementatus, ne ab eadem divellatur, Cleviam, omnemque aliam Fœminam a Parentibus propositam ex eadem caussa respueret. In hoc Casu Eugenii inobedientia irrationabilis foret, et ideo peccatum. Etenim amoris officia Filios inter et Parentes reciproca esse debent. Quare sicuti Parentes licite nequeunt Filios impedire, ne alicui peculiari fœminæ nubant, si ad hoc impediendum nullum sit rationabile motivum; ita quoque nec Filiis fas est absque motivo rationabili oblatas sibi a Parentibus uxores respuere.

IV. En itaque brevem utriusque Quæstionis solutionem. Primo: Nequeunt Parentes urgere Eugenium, ut Cleviæ nubat: Matrimonia enim absque mutua inclinatione peracta, sunt immensa quædam spiritualium malorum seges; idcirco debent ipsi Fulviam concedere, si hujus Fœminæ Status Familiæ bono non adversatur. Secundo: Eugenius non tenetur obedire Parentibus, et Cleriam in uxorem ducere, si erga eamdem omnino maritali affectu careat: Nequit tamen Fulviam in uxorem accipere, Parentibus repugnantibus. Seduso

cluso enim quocumque rationabili motivo, nec Parentes Filiis, nec Filii Parentibus hac in re adversari, et mc r rem affrre l.eite queunt.

Disquisitio Quarta.

Flavianus Testamentum fecit, et ex æquo hæredes scripsit duos Filios Cyprianum, et Apiarium, qui illegitimus est, at occultus. Rem subodoratus Cyprianus nullum non movet lapidem, ut Apiarius ab hæreditate arceatur; et ideo ipsum per summum Patris dedecus nothum esse patefacit. Quare Cyprianum Pater exhæredavit.

Quæritur 1. An licite utrumque Filium Flavianus æque hæredes instituerit? 2. Utrum licite Cyprianum exhæredaverit? 3. An Cyprianus absque culpa Apiarium illegitimum probaverit?

RESOLUTIO.

1. AMorem, quo veluti arctissimo, mutuoque nexu Parentum, Filiorumque animos provida natura copulavit, colligavitque, luctuosissimo fato sæpe sæpius abrumpi, atque infringi plusquam satis frequentes nostri præsertim hujus ævi Parentes inter Filiosque contentiones, atque querimoniæ ostendunt. Tragedia equidem horrida visu; sed tamen tollerantiæ limites non excedens si hic staret malorum finis. Odium quippe, quod aperta facie erumpit, sævitque facile, aut per pruden-

dentiam serpentis cavetur, aut per simplicitatem columbæ mulcetur, atque tolleratur. At si ementitis dilectionis coloribus, et charitatis larva personatum incedat, tunc equidem impune debaccatur, peccatorum colluviem ad excessum evehit, et animæ mortem prudentioribus quoque plerumque propinat. Talis est amor, quo plerique Parentes Filios suos, et vicissim Filii Parentes nostris hisce diebus prosequuntur. Carnalis quædam politica sub domesticæ economiæ, boniqus pubblici specie, atque prætextu quorumdam animos ita invadit, atque fascinat, ut domesticis suis tunc dumtaxat satis consultum esse arbitrentur, cum multarum divitiarum cumulum ipsis relinquunt; parum, aut nihil ipsorum referens utrum animæ bonis abundent, an careant. Enorme hoc vitii genus in Flaviano hac in *Disquisitione* detestabimur. Quapropter dicimus graviter peccasse Flavianum in primis ex æquo Filium nothum, et legitimum Hæredem scribentem. Secundo: illicite Cyprianum exhæredasse. Tertio: Cyprianum absque culpa Apiarium illegitimum probasse. Tria hæc validissimis rationibus invicte ostendimus.

II. Filius nothus dicitur ille, qui ex damnato coitu, scilicet ex Coniugato, et soluta natus est. Hujusmodi Filii in antiquo Testamento *Manzeres* vocabantur, prohibitumque erat ne ipsi, ipsorumque posteri usque ad decimam generationem ingrederentur in Ecclesiam Dei, ut *Deuter. Cap.* 23. legitur: *Non ingredietur Manzer, hoc est, de scorto natus, in Ecclesiam Domini usque ad decimam*

cimam generationem; habebanturque tamquam peregrini; atque idcirco inhabiles ad paternam hæreditatem adipiscendam. Legem hanc vetusto Judæorum Populo, Deo ipso dictante, præscriptam, Romani Pontifices pluribus Constitutionibus confirmarunt, præsertim Cælestinus III. in Decretali ad Archiepiscopum Eboracensem scripta. Unde in jure Canonico deinceps stabilitum est, Patres Filiis illegitimis relinquere non posse, nisi unam hæreditatis unciam, hoc est, unam duodecimam partem: Filios natos spurios ex damnato coitu genitos, neque ex Testamento, neque ab intestato, nec Patri, nec Matri in aliquo hæreditatis beneficio succedere posse *Authent*. *Quibusmodis L. Si quis incesti Lib. de incestis nuptiis*. Peccavit itaque graviter Flavianus Legem hanc parvipendens, et æqualiter hæredes instituens Filium spurium, et Filium legitimum.

III. Secunda, et Tertia assertio eadem demonstratione ostenduntur. Inter causas, quas Teologi, et Canonistæ recensent, ut jure Filii exhæredari queant, una est, si, nempe, Filius Parentes apud Judices accuset. Hæc accusatio, ut causa legittima sit exhæredandi Filium, debet esse de re criminali, scilicet, si Filius Parentem in judicium adducat, ut de aliquo crimine revincatur, atque pro jure mulctetur. *Justin. Imper. Novell.* 115. Unde si accusatio hæc circa civiles caussas versetur, sufficiens motivum non præbet, quo Pater Filium ab hæreditate dejicere jure possit. Ita Juristæ omnes *L.* 145. *ff. de regul. Juris*. Hinc Cyprianus Pa-

Paternam hæreditatem in integrum apud Judicem adipisci contendens, causam agit civilem, non criminalem, quippe sui Patris crimen detegit, atque probat non directe, sed indirecte, ut Canonistæ loquuntur, quatenus nempe, eo crimine probato, facilius tota hæreditas sibi adjudicetur. Unde revelatio, et probatio criminis non est finis a Cypriano volitus, sed medium necessarium ne hæreditario jure privetur. Cyprianus itaque Apiarium illegitimum esse probans jus suum unice prosequitur, neminique propterea facit injuriam, ut expresse habetur in lege Canonica de Regulis juris loco citato. Contra vero Flavianus ejus Pater graviter peccat hanc ob caussam ipsum ab hæreditate paterna depellens.

IV. Neque quis dicat hujusmodi Leges in foro dumtaxat externo suum habere pondus; in foro autem conscientiæ, et interno obligationem nullam præseferre. Ita equidem nonnulli Casuistæ teterrimi Evangelicæ doctrinæ perduelles ratiocinantur; venditantes nonullas esse Leges mere pœnales, quæ absque ulla morali culpa violari possunt. Lethiferam hominum istorum opinandi licentiam *Disquis. Un.* De Legibus funditus exterminavimus. Interim audiant D. Paulum ad Rom. *Cap.* 13. scribentem: *Necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Et D. Thomam 1. 2. *Quæst*, *96.* cum cæteris Patribus docentem: *Leges omnes si justæ sunt habent vim obligandi in foro conscientiæ a Lege æterna a qua derivantur*. Flavianus itaque filium nothum hære-

hæredem instituens, et legitimnm ab hæreditate deturbans, graviter Canonicas Sanctiones læsit, et lethaliter peccavit. Ex adverso Cyprianus, qui ab apice juris non recessit, nullius culpæ reus est.

Disquisitio Quinta.

Camillum graviter ægrotantem Lucullus ejus Filius solatur, mortem, quæ ceteroquin proxima est, suadens longius distare. Hoc autem facit, tum ne aspero mortis nuncio contristatus Pater citius occumbat, tum etiam ne Testamentum perficiat, in quo scit quædam legata pia ab eodem conditum iri.

Quæritur: Quid de hac Luculli pietate, & artificio dicendum?

RESOLUTIO

I. CAmilli pietatem, qua ægrotanti Patri durum mortis nuncium patefacere noluit, execrabilem esse; Ejusque artificium, quo usus est ne Testamentum perficeret fraudem esse manifestam, & latrocinium, apprime colligitur ex dictis in anteacta Disquisitione(n.I.). Unde ipse proculdubio ad Restitutionem tenetur rerum omnium illarum, quas ipsius Parens Locis piis reliquisset, nisi a Filio ludificatus esset. Pietatis ejus mendacium argumentis probandum non est, sed lacrymis deflendum. Hæc quippe est nostrorum temporum deploranda consuetudo, ut nempe domestici

mestici non modo renuant ægrotos de mortis discrimine admonere, verum quoque pertimescentes ne ex eo fatali nuntio augeatur morbus, & mors ocius maturetur, Egrotos maxima spe recuperandæ valetudinis lactent, palpentque, & Medicis, aliisque omnibus acriter prohibeant, ne cum ipsis de mortis periculo verbum aliquod faciant, & ne mussitent quidem. Interim Sacramentorum administratio in longius protrahitur, Sacerdotes non advocantur, & infelices Egroti falsa convalescendi spe decepti occumbunt, quin unquam serio de difficillimo bene moriendi negotio cogitaverint. Vitium hoc majorem sane malitiam sapit, quam homicidium; Hoc namque corpus interimitur, illo autem anima æternæ damnationis periculo exponitur. Proinde Camillum gravissimi peccati reum ob prætermissum Mortis nuncium ex mendaci erga Parentem pietate merito condemnamus.

II. Artificium quoque, quod a Camillo adhibitum est, ne ejus Parens Legata pia conficeret, peccatum esse lethale, eumdemque ad restitutionem teneri sequentia demonstrant. Legata pia non solvere quoddam sagrilegii genus esse Patres omnes docent, & presertim Hieronymus in Can. *Gloria* 71. 12. q. 2. Impedientesque hujusmodi Legata a primis usque Ecclesiæ sæculis anathemate confodiebantur, prout patet ex Concilio IV, Carthaginensi sæculo IV. celebrato, & ex Concilio Vasensi in Gallia sæculo V. Teneri vero Camillum in integrum satisfacere iis Locis, qui-

bus Pater ejus pia Legata relicturus erat ex pluribus Synodis evinco, ubi jure, meritoque statuitur, ut ille, qui indirecte, vel directe impedimento fuit, quominus quis vel infirmus, vel sanus in ultima sua voluntate de suis bonis ad pium opus disponat, non absolvatur a Censura, nisi Ecclesiæ, aut Pio Loco prius satisfecerit, & de suo adimpleverit. Patet itaque Camillum impedientem, quominus ejus Genitor Testamentum condat, & Legata pia perficiat in excommunicationem incidere, nec non teneri eadem Legata adimplere, perinde ac si a Patre suo in Testamento scripta fuissent, atque insuper absolutionis incapacem esse usque dum huic oneri ad apicem, & virgulam non satisfecerit.

Disquisitio Sexta

Agapitus, Parentibus consentientibus, Votum emisit ingrediendi Religionem. At nunc quibusdam inopinato calamitatibus subortis, summaque inopia Parentes affecti, Filii præsentia indigent, ut vivere queant.

Quæritur: Utrum Parentibus opem, an Deo Votum reddere teneatur?

RESOLUTIO

I. SOlutionem hujus Casus communi Doctorum omnium, Theologorumque consensione traditam, atque firmatam habemus: Argumentorum enim quibus ipsa illustratur fulgor adeo coruscans est, nitidusque, ut in meridie cecutiat oportet, qui ab ejusdem evidentia, & claritate non percellitur. Votum, quod luculentissimè in secundi Decalogi Præcepti explicatione Disquis. I. & seq. observatum est, ut validum sit, Deoque acceptum plures conditiones expostulat; Quarum una est, ut nempe Promissio sit de bono aliquo, quod spectet ad integram potestatem Voventis: Hæc particula observationem aliquam meretur, ut nitide, ac sua sponte hujus Casus enodatio derivetur. Vovet Paterfamilias sese decem aureos singulis mensibus pauperibus elargiturum: Sed ut hanc eleemosinam tribuat, Vxor ejus, & Filii rebus necessariis orbantur ad vitam peragendam Statui ipsorum accomodatam. Item Fœmina quædam longam jejuniorum seriem promittit, qua impar efficitur ad res domesticis suis debitas accu ate peragendas. Et Monialis Professa Voto pollicetur quasdam Corporis afflictationes, quibus adeo debilitatur, ut deinceps nequeat sui Ordinis Regulis satisfacere. Hæc, & similia id generis Vota suapte natura irrita sunt ob hanc unam caussam, quia ipsorum materia non est in pleno Voventis dominio, iisque adimpletis alterius jura læ-

dun-

duntur. Ita in primo exemplo Filii jure a Patre necessaria alimenta exposcunt; Alimenta itaque concedere, aut negare non est in libera potestate Patris. In secundo exemplo Fœmina, quæ ex officio domesticarum rerum curam gerere debet, nequit hanc curam negligere, quin Domesticis suis injuria inferatur. Denique in tertio exemplo Monialis voluntatem suam ob votum Obedientiæ abnegatam, propriæ libertatis jus in suos Superiores transtulit; Potestatem itaque omnem amisit faciendi, aut omittendi aliquod, quod a Superioribus prohibeatur, aut imperetur. Hæc omnia nitidissime ostendunt Voti cujuslibet materiam esse non posse id, quod fieri nequit absque alterius juris læsione.

II. Naturali, divinoque jure Parentes in necessitatibus constituti exigunt, ut a Filiis necessaria alimenta sibi ministrentur. Itaque Voti materia esse nequit id, quod Parentes hoc suo jure spoliat. Ingressio in Religionem Agapiti, Parentibus summopere indigentibus, jus aufert, quod ipsi habent ad alimenta a Filio recipienda; Ergo ingressio in Religionem non est apta materia Voti; atque proinde Votum Agapiti invalidum.

III. Neque obstat quod hujusmodi Votum emissum fuerit, Parentibus consentientibus, & optima florentibus fortuna. Etenim nunc circumstantiæ nimis mutatæ sunt; mutatisque notabiliter circumstantiis sæpe evenire solet, ut quæ antea idonea erat Votorum materia, fiat irrita, atque invalida. Consensus autem Parentum cum

ipsi

ipsi nulla indigentia vexarentur, rationabilis fuit: Nulla enim in diviti ipsorum statu legitima ipsis aderat repugnandi caussa. At nunc ob paupertatem in quam delapsi sunt, aut nullus est ipsorum consensus, aut est irrationabilis, utpote naturæ, & pietati oppositus, quæ jure summo imperant, ut Parentibus indigentibus Filii deferant opem.

IV. Ex hac doctrina duo, quæ prima fronte pugnantia videntur, Evangelii loca facillimé conciliantur. Primum est apud Marcum Cap. 7. Ubi Christus Pharisæis maledixit docentibus expedire magis, ut Filii promissa dona Templo solverent, quam Parentibus auxiliarentur. Secundum legitur *Lucæ Cap.* 14. & *Math. Cap.* 5. Ubi idem Christus præcepit, ut omni abjecto erga Parentes Amore Discipuli sui vocibus suis obtemperarent; commendavitque summopere Joannem, & Jacobum, qui relictis retibus, & Patre sequuti sunt eum. Primo enim loco loquitur Christus de Parentibus indigentia laborantibus, & qui propterea jure exposcunt a Filiis opem; atque idcirco Religionis prætextu nequeunt Filii a Parentibus necessaria alimenta subducere, ut dona Templo voveant. Contra vero in secundo loco præceptum Christi Filios illos spectat, qui nihil Parentibus debent, quosque proinde Filii relinquentes nulla injuria afficiunt; hujusmodi fuit Zebedeus Jacobi, & Joannis Pater, qui ad vitam alendam nulla tenus Filiorum opera indigebat, ut Patres, & Expositores observant.

Di-

Disquisitio Septima

Hector jam aliquorum Filiorum Pater, generalem totius anteactæ Vitæ confessionem perficiens, exflagitat, ut a Confessario circa officia Parentum in Filios interrogetur.

Quæritur: Quænam ab eodem Confessarius sciscitari debeat?

RESOLUTIO

I. IMmensam equidem rerum segetem Filiorum educatio præsefert, ex qua non bene peracta horribilis nostrorum temporum depravatio repetenda est. Quamobrem cum nihil Confessarii inculcare studiosius debeant, quam optimam Filiorum institutionem, necessarium factu duximus officia principaliora recensere, quæ absque gravi culpa a Parentibus negligi non possunt. Officia hæc ad duo capita juxta Canonem 15. Concilii Gangrensis revocamus. Primum est, ut Parentes Filios suos alant. Secundum, ut omni conatu in rebus ad Religionem, pietatemque spectantibus eos instituant.

II. Quantum ad primum spectat, tenentur Parentes quoad victum, & vestitum Filiis suis consulere modo Religioni, & Familiæ consentaneo. Peccant itaque graviter Parentes, qui in propriis cupiditatibus explendis nummos adeo insumunt

munt, ut inde non leve incommodum Familiæ suboriatur. Peccant quoque graviter si nimia tam ciborum copia, quam Vestium pompa in tenellis Filiorum animis, potius crapulam, & sæculi vanitatem, quam Christianam temperantiam, & modestiam inserant. Ex hujusce rei negligentia commessationum, & vestium luxuries in Christiano Populo adeo excrevit, ut juxta omnes historias, & antiqui Ethnici, & præsentes Turcæ sint nostris Christianis vehementer temperantiores, modestioresque.

III. Quod pertinet ad institutionem Filiorum in rebus ad Religionem spectantibus tenentur Parentes primo sub gravi culpa curare, ut Filii a teneris unguiculis christianæ doctrinæ rudimenta optime calleant, ut inde statim ac primus rationis fulgor in ipsis emicarit, eliciant actum amoris Dei; Deinde sæpè, & graviter ipsos monere sponsionem, pactionemque, quam cum Deo in Baptismate fecerunt, abrenunciantes diabolo, & pompis ejus: Secundo tenentur, si queunt, Filios suos idoneis Præceptoribus erudiendos tradere, qui non inflantem sæculi scientiam, sed solidam Evangelii doctrinam doceant. Quare enixè inspicere debent, quos præsertim libros adolescentes perlegant, reperientesque in ipsorum manibus Libro, stultam mundi sapientiam subolentes, eos cáne pejus, & angue avellant, lacerentque. Hæc enim facilitas, qua Pueris libri quicumque perlegendi conceduntur lacrymabili fato effecit, ut nostris hisce diebus tot subdolè grassentur prophani

phani Dei, & Ecclesiæ irrisores. Tertio cavere Parentes summopere debent, ut adolescentes societatem, familiaritatemque non exerceant, nisi cum illis, qui probatæ innocentiæ sint. Hac in re argivis oculis opus esse plusquam satis domestica experientia ostendit, inculcatque studiosissime D. Theresia in sua Vita *Cap.* 2. Quarto studeant, ut Filii non modo pietatis opera frequenter exerceant, verumquoque diligant. Quod quidem facillime obtinebunt si pia Sanctorum exempla narrent frequenter, & pessimam peccatorum mortem sæpius ob ipsorum oculos ponant. Amor hic erga pietatis opera est Virtutum omnium radix; quo sublato, nihil boni ab Adolescentibus sperandum est. Quinto Parentes Filios suos corrigant in disciplina, & correptione Domini, ut ait Apostolus: Afflictationibus quoque, si opus fuerit, eos percutient, & animam ipsorum de inferno liberabunt, quomodo legitur *Prov. Cap.* 23. Denique sciant Parentes Adolescentulos magis exemplis flecti, quam vocibus. Hinc bona exempla filiis non præbere gravis est culpa; gravissima autem est præbere mala, dicente Christo Domino *Mathei cap.* 28. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*. Hæc summatim sunt, quæ fuse, & minutatim Confessarius ab Hectore sciscitari debet, ut ipsius conscientiæ statum dignoscat ad accuratam generalem confessionem perficiendam.

IV. Quod

IV. Quoad correctionem verò sedulo animadvertant Parentes ipsam tribus conditionibus præditam esse debere. Prima, scilicet, ut sit proportionata ætati, & ingenio Filiorum, itemque qualitati, & gravitati culpæ, ne si passim, & temerè corrigantur, hujusmodi pœnis assuescant, & potius indurari videantur, quàm emendari. Secunda, ut lenitate fulcita sit, scilicet, non impetuiræ est peragenda, ne Filii ad iracundiam potius provocentur, & ad vindictam. Tertia denique quod sit valida, adeout validiora non despiciantur remedia, quoties faciliora non profecisse animadvertitur. Uno verbo, ingenia, temperamenta filiorum consideranda sunt; quorum quidam dum inter flagellorum duritiem remanent incorrecti, dulci sunt admonitione mulcendi; quemadmodum & ægros, quos fortis medicina curare non valuit, ad salutem pristinam tepens aqua revocavit.

Disquisitio Octava.

Pancratius, et Lucretia plures habuerunt Filios: Primum, qui ex illicita ipsorum copula ante Matrimonium genitus est, in hospitali ad hoc opus erecto exposuerunt: Cæteros vero, qui post eorumdem Matrimonium nascuntur, aliis Fœminis lactandos consignant.

Quæritur: An absque peccato a Parentibus Filii in Hospitalibus exponantur? 2. An Exponentes aliquo onere devinciantur? 3. An licite Parentes natos suos aliis mulieribus lactandos tradant?

RESOLUTIO.

I. CAsus iste plurimos, et gravissimos coercet abusus, qui adversus optimam, necessariamque Filiorum institutionem, educationemque nostris hisce temporibus in Christianam plebem irrepserunt. Non raro equidem, convulsa animi dilectione, qua natos suos Belluæ quoque immaniores prosequuntur, Homines filios suos vix in lucem editos negligunt, in Hospitalibus exponunt, illorumque illico obliviscuntur, sæpius quoque alienis fœminis ablactandos tradunt, nullamque deinceps, cum adoleverint, ipsorum curam habent, nisi ut corpore bene valeant, neglectis omnino animi bonis, quæ nunquam obtinentur, ubi ignorantia, et otium dominantur. Singula hac in Disquisitione observabimus.

II. Quæritur itaque primo, Utrum licite Parentes in Hospitalibus filios suos exponant? Hac de re revocemus oportet quæ, in Disquisitione *septima n.* 2. exposuimus, scilicet, Parentes sub gravi culpa teneri filiis suis in rebus tum ad Corpus, tum ad Animam spectantibus consulere. Hoc natura tota quanta est exposcit, et Religio enixe inculcat. Scriptum est enim: *Qui domesticorum suorum curam non habet fidem negavit, et est infideli deterior*. Ab his præstandis officiis nunquam Parentes dispensari queunt, nisi in duobus Casibus, nempe, cum impotentia aut physica, aut morali vere laborant. Etenim ad impossibilia nemo

nemo tenetur. Impotentia physica in hoc Casu est summa illarum rerum egestas, qua fit, ut Parentibus fame pereundum foret, si filiis suis necessaria alimenta subministrarent. Impotentia autem moralis habetur cum Parentes filiis suis consulere quidem possunt; At inde maximum aut toti Reipublicæ, aut sibimet ipsis detrimentum derivatur: Hujusmodi res foret, si Parentibus filios suos retinentibus, atque servantibus, graves inimicitiæ excrudescerent, odia implacabilia foverentur, et familia summo dedecore deturpata evaderet.

III. Ex hac doctrina facile colligitur, quid primæ quæstioni respondendum sit, Filiis consulere in rebus tum Corpus, tum Animam pertinentibus est opus ad Parentes spectans, a quo ipsi exui nequeunt, nisi aut summa paupertate, aut evidenti majorum malorum periculo afficiantur. Hoc onus Parentes illi abjiciunt, qui in Hospitalibus Filios suos exponunt. Ergo licite exponere nequeunt, nisi aut summa paupertate, aut ex evidenti gravissimorum malorum periculo urgeantur.

IV. Hinc quoque facillime secunda Quæstio dirimitur: Quippe existente physica impotentia, quælibet tollitur obligatio. Neque enim teneor ablata restituere, aut illata damna resarcire, si ita egenus sim, et pauper, ut vix, aut ne vix quidem ad vitam de die in diem servandam necessarium victum mendicare queam. Parentes idcirco tanta inopia laborantes nihil Hospitalibus debent.

V. Ex

V. Ex adverso si dum Filios suos hisce Hospitalibus tradunt Parentes divites sint, aut si divites temporis decursu facti sunt, tenentur omnino sub gravi culpa totum id Locis hisce piis restituere, quod juxta Peritorum judicium in alimentis, vestibus, et educatione Filiorum, quos ipsi exposuerunt, probabiliter insumptum, atque expensum fuerit. Hinc circa Pancratium, et Lucretiam hæc observanda sunt. Primum: Utrum nunc vere pauperes sint, an aliquantulum divites. Si divites, Hospitali in integrum reddant id totum, quod pro exposito Filio Locus pius insumpsit, atque expendit. Si autem sunt vere pauperes ad nihilum tenentur. Ipsos tamen Confessarius commonefaciat, nempe, quod si eo tempore, quo ipsorum Filius in Hospitali deget, fiat, ut ipsi divites evadant, restituendi onus reviviscit. Quippe paupertatis circumstantia deficiente, non existit amplius impotentia physica, qua ab restitutione excusabantur. Secundum observandum, quod quamvis Filius a Pancratio, et Lucretia in Xenodochio derelictus ante Matrimonium illegitime natus sit, tamen juxta decretalem Alexandri III. ad Exoniensem Episcopum per subsequens Matrimonium legitimus evasit. Ei igitur non solum alimenta, verum quoque omnia ea debentur, quæ hæreditario jure Filii legitimi a Parentibus exposcunt. Ideo si Pancratius dives est, non modo Hospitali reddere debet id omne, quod pro Filii sui educatione consumptum est, sed insuper ipsius summopere interesse debet, ut Filius

totum

totum id habeat, quod ex hæreditate tam Patris, quam Matris jure sibi convenit. Hinc Pancratius, et Lucretia tenentur ex circumstantiis, et conjecturis Filium detegere, ipsique sub aliquo prætextu juxta prudentis Confessarii judicium eam hæreditatis portionem donare, quæ ad eumdem jure spectat: Sin autem Filium nullatenus cognoscere queant, tunc ipsius hæreditatis portio in eos usus impendatur, qui saltem Filii animæ proficiant.

VI. Tertia Quæstio exposcit, ut decernatur utrum peccent Parentes Filios suos non lactantes, et aliis Mulieribus tradentes. Hac de re dicimus Parentes hujusmodi si absque legitima caussa id faciant, peccare leviter, aut graviter, prout magis, vel minus hæc obligatio læditur. Teneri namque Matres proprio lacte infantulos suos pascere jus naturale, et ecclesiasticum positivum præcipit: Jus naturale evincitur primo quod et arbores proprio humore fructus suos maturent, et Belluæ omnes natos suos lactare constantissime soleant, naturæ impulsu adeo valido, ut si ex aliquo casu ab hoc officio impediantur, statim totum Corpus ex lacte retento, atque repercusso tabescat. Hinc Mulieres, quæ suos Filios aliis Fœminis lactandos consignant, lacteis vasis obstacula ponere coguntur, ut lac retrorsum propellatur, quod ex hac violentia plerumque extra naturales Cellulas, et tubos excurrens, sanguinem inficere, et totum mechanicum fluidorum Systema non sine magno valetudinis dispendio per-

pervertere solet. Vim igitur maximam Naturæ faciunt Fœminæ, quæ lac in nutriendis propriis Filiis non impendunt. Secundo juxta Physicorum omnium consensionem varia Hominum temperamenta ex vario sanguine derivantur: Sanguinum autem varietas ex lactis, quo infantes pascimur, diversitate profluit. Ex lacte idcirco temperamenta accipimus; hoc est, igniculos illos, stimulos et propensiones, quæ nos efficiunt vel ad malum, vel ad bonum, aut tardiores, aut pracliviores. Hinc observatum non modo a Philosophis, verum quoque ab Historicis Ecclesiasticis, nempe, Filiorum indoles magis Matribus, quam Patribus consonare. Hinc quosdam Corporis defectus, et quosdam mores in nonnullis Familiis hæreditarios esse conspicimus. Itaque cum Parentes quantum satis est, nunquam certi esse queant de optimis Nutricis moribus, et valetudine, nonnisi magno cum periculo Filios lactandos consignant; Facillime enim evenire potest, ut tenella infantis membra ex pravo Nutricis lacte, et indole pessimum temperamentum sortiantur.

VII. Quod autem spectat ad Jus ecclesiasticum positivum legimus iterum iterumque, præsertim *in text. Cap. ad ejus distint.* 5. damnatum fuisse semper veluti pravam, et a Christiana disciplina alienam consuetudinem, quæ in Conjugatorum moribus irrepsit, ut Filios suos, quos gignunt nutrire Mulieres contemnant, eosque ad nutriendum aliis Mulieribus tradant. Jure idcirco naturali, atque ecclesiastico patet absque peccato

cato fieri non posse, ut natos suos absque legitima caussa Parentes fœminis aliis lactandos consignent. Quænam autem caussa legitima sit, qua a nutriendo proprio lacte Filios suos Mulieres excusentur ipsæ ex propria conscientia, et ex Medicis, qui tamen ingenui sint, addiscere debent.

VIII. Nihilotamen minus, Nos, et Medicos, et Mulieres admonere in Domino non derelinquimus; ne primi Mulierum conscientias palpent nimis illarum imbecillitati indulgendo; Et ut secundæ serio advertant ex justitia debitum Filios alendi ipsis incumbere; et inde quædam damna, quæ fortassis effinguntur, nil aliud efformare, quam excusationem in peccato. Quapropter Exempla innumera nobilium Fœminarum, quæ in Scripturis recensentur, quæque Filios lactare suos honorem, non dedecus, debitum, non incommodum esse existimarunt, ante oculos ponant; quemadmodum et Sara Abrahami Uxor, et Anna Samuelis Mater; Ed ad hæc exempla, veluti ad lidium lapidem propriam vitam revocent, atque instituant Matres Christianæ, ne de seipsis erubescant, ac peccata a se commissa videant, atque improbent, quando tempus non erit amplius.

Disquisitio Nona.

Turnus, et Octavia conjuges, ne rebus familiaribus detrimentum afferant, Filios suos Præceptoribus tradere negligunt in liberalibus disciplinis erudien-

diendos; Hinc fit ut iidem otiose vivant: Quinimmo Adelaidam filiam nubilem Matrimonio copulare in longum protrahunt.

Quæritur: Quomodo cum utroque Confessarius se gerere debeat?

RESOLUTIO.

I. DIsquisitio hæc in Turno, et Octavia conjugibus pravam nonnullorum Parentum consuetudinem exponit, qua domesticæ Æconomiæ specie decepti, Filios suos idoneis Præceptoribus tradere nolunt; Filias autem nubiles in Matrimonium aut omnino copulare negligunt, ne ex domesticis bonis congruas dotes subducant, aut si eas matrimonio jungunt, Viros illos in Maritos Filiabus suis disponant, qui minores dotes exposcunt, parum interim solliciti, utrum optimis moribus præditi sint, et Filiarum indoli uniformes. Hujusmodi Parentes sese excusare solent, quomodo Turnus, et Octavia in præsenti Disquisitione, scilicet, rerum domesticarum proventus esse admodum tenues, ut vix diurnis indigentiis explendis idoneos: Non posse propterea expensas augere, quæ necessario in Filiorum institutione, et in maritandis apte Filiabus exquiruntur. Quomodo itaque cum hujusmodi Conjugibus Confessarius sese gerere debet?

II. En Methodum. Primo teneri Parentes sub gravi, ut Filii in artibus, et disciplinis proprio statui accomodatis erudiantur, et ut Filiæ congruas

gruas habeant dotes, quibus vel Matrimonium, vel cælibatum liberrime eligere, atque servare queant, certissimum est, ac inconcussum, ut in superioribus Disquisitionibus observavimus: Secundo ab hac obligatione sola impotentia physica, vel moralis excusat; prout (*Disquis. VII. n.* 2.) explicatum est. Perspiciat itaque Confessarius utrum vere Turni, et Octaviæ domestici redditus adeo tenues sint, ut Parentes in ea impotentia versentur. Quare ipsos interroget utrum aliquando expensis superfluis indulgeant, nempe, utrum in conviviis, commessationibus, ludis, vestibus, solatiisque potius mundi vanitatem, sæculi consuetudinem, et pompam, quam Æconomiam servent. Plerumque enim fit, quod si Patribus, et Matribus familias aliquod pium Opus suaseris, statim impatientes, et reddituum tenuitatem, et Economiam accusent. Ex adverso autem si spectacula, pompas, ludos, et solatia audiunt, illico quælibet economia evanescit, et reddituum copia, et nummi præsto sunt.

III. Hic est lydius lapis, quo Turnum, et Octaviam Confessarius probare debet. Si eos superfluis expensis indulgere audiat, ipsis jubeat, ut eas omnino prætermittant, et pecuniam, quam pro hisce vanitatibus insumere solent, in Filiis recte instituendis expendant; Interimque absolutionem suspendat usque dum manum operi admoverint. Vitium quippe hoc difficillimæ curationis est. Sin vero eorumdem Status vere talis sit, ut nequeant ex nulla parte laudatis Filiorum indi-

gentiis consulere, tunc equidem eisdem præcipiat, ut Filiorum otium, uberrimam malorum omnium scaturiginem, impediant; illos nempe facilioribus disciplinis præficiant, et in pietatis operibus exerceant, ut hinc avulso otio, Deus vel patientiam tribuat, vel viam aperiat ad ipsorum fortunam feliciorem efformandam.

Disquisitio Decima.

Darius dives Filiam notham habet, quæ conjugio jungi exoptat. Ipse autem ne dotem congruam solvat, condito Testamento, exiguum quoddam Legatum eidem reliquit, si Monasterium ingrediatur.

Quæritur: 1. An Parentes Filiabus illegitimis dotem conficere debeant? 2. An Darius in pœnam inciderit in Concilio Tridentino latam?

RESOLUTIO.

I. PArentes sub gravi culpa teneri, ut Filiabus legitimis congruas ipsarum Statui Dotes constituant, quibus vel Matrimonii onera subire, vel Monasticam vitam ingredi queant, adeo est perspicuum, ut quamvis moralis disciplina undequaque discordantium Doctorum rixis, et contentionibus ad nauseam usque obstrepet, hac tamen in re ne sibilus quidem audiatur. Secus autem si de Filiabus illegitimis loquamur, rem evenire conspicimus. Panormitanus, Vasquezius, Molina, alii-

aliique sexcenti ex una parte absolute negant a Parentibus filiabus spuriis dotem deberi: Ex adverso affirmant Bartholus, Azorius, Facundez, et Catalanus, aliique plurimi. Tantorum virorum invicem litigantium argumenta in medium proferre, perpendere, et terminativa sententia seligere nequeo, tum ne brevis lectionis limites excedam, tum etiam quia privatam personam nimis dedecet tribunal erigere, et de Viris doctrina, et auctoritate celeberrimis sententiam voce censoria proferre.

II. Quid igitur faciam? En methodum, qua vir prudens, uti debet cùm in opiniones inciderit in utramque partem a Doctoribus disputatas; scilicet, mediam viam incedam, qua utraque sententia concilietur. Dum itaque quæritur utrum parentes Filias illegitimas dotare teneantur, dico, aliquas distinguendas esse circumstantias, et juxta earumdem discrimen, quæstionem esse dirimendam. Prima circumstantia est, scilicet, utrum parentes alios filios habeant legitimos, quibus notabile præjudicium inferretur, si filia spuria congruam obtineret dotem. Si ita res se habeat, filiam illegitimam dotare parentes nec possunt, nec debent. Ratio evidens est. Quippe filii legitimi illegitimos juxta jura omnia præcedunt. Quod quidem luculentissimum Scripturæ exemplum Genesis *Cap.* 25. confirmat, ubi legitur: *Deditque Abraham cuncta, quæ possiderat Isaac; Filiis autem Concubinarum largitus est munera, et separavit eos ab Isaac Filio suo.* In hac itaque hypothe-

pothesi Darius noster Abraham imitetur, detque Filiæ nothæ munuscula quædam, quibus ipsa adjuvetur, quin aliquod detrimentum Filiis legitimis suboriatur.

III. Sin autem parentes filios legitimos non habeant, tunc secunda circumstantia observanda est, nempe, inquirendum utrum parentum bona libera sint, an vero Ecclesiis, Locisque piis addicta. In hoc secundo Casu, nempe, si bona parentum, aut Ecclesiastica actu sint, aut ad Ecclesias, et pia loca post legitimam Filiorum successionem devolvi debeant, non licet parentibus congruam dotem filiæ spuriæ elargiri. Etenim hæc esset vera furti species; quippe perinde foret ac surripere ab Ecclesiis, et locis piis bonorum copiam, quam nomine Dotis filiæ illegittimæ elargiuntur.

IV. Quod si Parentes divites sint, bonisque laicalibus abundent, et Filiis legitimis careant; ex charitate saltem tenentur sub gravi aliquam bonorum partem, quæ sit apta, ad congruam Dotem conficiendam Filiæ relinquere. Tunc enim Parentes ex una parte nemini injuriam faciunt, et ex altera Naturæ vocibus obtemperant, quæ exigit, ut Parentes illos præ cæteris diligant, quos genuerunt. En primæ quæstionis solutionem, quæ ita modificata, veluti media est inter contrarias opiniones, et consona diversis Doctorum placitis.

V. Altera quæstio in eo versatur, utrum scilicet Darius Legatum quoddam Filiæ suæ testamen-

stamento relinquens, dummodo tamen ipsa Monasterium ingrediatur, inciderit in excommunicationem in Concilio Tridentino jaculatam adversus eos, qui cogunt Mulierem ad suscipiendum cujuscumque Religionis habitum. Hac de re declarationem habemus Sagræ Congregationis Concilii *anno* 1573. *die* 18. *Junii* datam, ubi decernitur nullam excommunicationis pœnam incurrere Parentes illos, qui Filiam illegitimam instituunt hæredem, ea conditione, si nempe, Monasterium ingrediatur; sin autem Monasterium ingredi nolit, exiguum dumtaxat Legatum habeat. Hujus Declarationis ratio est, ut infert Barbosa *De Offic. et Potest. Episcopi Part.* 3., quia in eo casu Parentes non adhibent vim coactivam, sed vim solum inductivam; Quippe potest Filia, hæreditate rejecta, exiguum recipere Legatum, ex quo aliqua saltem ratione vivere potest.

VI. Porro hæc Sacræ Congregationis Declaratio expositæ Quæstionis solutionem subministrat. Hinc Darii Filia vel congrue vivere potest absque eo Legato; vel ad vitam agendam Legatum illud acceptare cogitur. Si absque eo Legato congrue potest vivere, libera est ad idem Legatum acceptandum, vel recusandum; et idcirco ad ingrediendum, et non ingrediendum Monasterium; Igitur in hac hypothesi a Patre nullatenus cogitur, et Pater in excommunicationem non incidit. Sin autem nequit vitam agere absque eo Legato, tunc illud recusare nequit, quin ejus vita summopere periclitetur: Non est igitur libera ad

ra ad recusandum Legatum, et ideo ad non ingrediendam Religionem. In hoc ergo casu Darius Legatum illud Filiæ relinquens sub conditione quod Monasterium ingrediatur, Filiæ libertatem læsit, veram coactionem adhibuit, et in anathema Tridentinæ Synodus prolapsus est.

Disquisitio Undecima.

Democritus, et Lelia adeo rigide in Filios suos se gerunt, ut ipsis nec a Domo egredi, nec ad fenestras accedere permittant. Egre id ferunt Filii, et sæpe obedientiam abjiciunt: Quare a Parentibus verbis asperrimis, imprecationibus, et verberibus plectuntur.

Quæritur 1. *An bene faciant Parentes suos Filios tam arcte custodientes?* 2. *An graviter Filii peccent hujusmodi jussis inobsequentes?* 3. *Quid dicendum de severitate, qua a Parentibus redarguuntur?*

R E S O L U T I O

I. RIgidam Democriti, et Leliæ in suos Filios consuetudinem scrutandam porrigit præsens Disquisitio. Ad istam recte examinandam Apostoli doctrina, qui *Ep. ad Ephes. Cap. 6. V.* 4. docet, quod Filiorum æducatio, ac custodia fieri debeat in disciplina, et correptione Domini, àdeout ad iracundiam non provocentur, serio est atten-

tendenda. Hinc expositæ quæstiones facile explanantur.

II. Primo: Democritus, et Lelia tam arcte custodientes Filios suos, ut ipsis nec e Domo egredi, nec ad fenestras accedere permittant, male se gerunt, si id absque rationabili motivo, et moderamine faciant. Puerorum enim, et adolescentium natura ignea est, quæ proinde si nimis coerceatur in perniciosiora mala perrumpit. Modus itaque necessarius est. Hinc si Filii innocentis deambulationis, et curiositatis gratia aliquando a Domo egredi, et ad fenestras stare cupiunt, Parentes id impedientes irrationabiliter sese gerunt, nec educant Filios in disciplina, et correptione Domini, qui vult ut rationabile sit obsequium nostrum. Ex adverso si Filii extra Domum vagari velint, ut aut otio, aut nimio ludo, aut pravis Sociis indulgeant, atque ita quoque Puellæ ad fenestras stare optent, ut aspiciant, et aspiciantur, arcta Democriti, et Leliæ custodia tunc equidem est laudanda. Quippe disciplina, et correptio Domini præsertim circa Puellarum æducationem exigit, ut non modo muris, verum quoque propugnaculis ipsæ custodiantur, prout docent Sancti Patres explicantes verba illa Canticorum *Cap. 8. Quid faciemus Sorori nostræ? Si murus est, ædificemus super ea propugnacula.*

III. Secundo: Utrum autem Filii huic Parentum custodiæ reluctantes, eorumdemque jussis non obsequentes graviter peccent, ex duabus conditionibus pendet. Primo, scilicet, observandum est

est, an Parentes rationabiliter id præcipiant. Secundo, utrum ex Filiorum inobedientia graviter tristentur. Officia enim reciproca esse debent; Hinc sicuti graviter peccant Parentes, si ad tristitiam, et ad iracundiam filios irrationabiliter provocent, ita pari jure graviter peccant Filii, dum in rebus quoque levibus non obedientes, gravem mœrorem, et indignationem, Parentibus inferunt.

IV. Tertio: Severitatem, qua Filii a Democrito, et Lælia redarguuntur dico malam esse, et uberrimam plurimorum malorum fontem, nec non ex diametro adversam Documentis D. Pauli, qui docet, ne ad iracundiam Filii provocentur. Verba enim aspera, et verbera tunc dumtaxat a Parentibus licite adhiberi possunt, cum ad veros, et reales Filiorum defectus corrigendos quodlibet aliud remedium incassum experti sunt. Mansuetudinem ubique Christianorum æducatio sonare debet. Nec unum exemplum in tot Evangelicis parabolis de Patribus familias reperire est, in quo aut verbis asperis, aut verberibus Patres Filios suos facinorosos exceperint.

V. Impræcationes denique graviora peccata plerumque sunt. Et ob injuriam, quam per ipsas afferunt Deo, teste Augustino, qui tales Parentes ita arguit = *Te facis judicem, et Deum quæris esse tortorem*. Et ob funestissimos eventus ex Parentum imprecationibus emanantes, dicente Ecclesiaste *Cap. 3. v. 15. Maledictio Matris eradicat fundamenta Domus*. Quamobrem D. Catharina Senensis di-

dicebat Matri suæ : *Ne quæso , Mater, maledicas mihi , sed potius verbera me* . Lugubribus exemplis defacto Genitorum Filiis suis imprecantium sacræ, et prophanæ Historiæ redundant , quæ hoc confirmant , quæque apud Surium in Vita Sancti Zenobii Archiepiscopi Florentini , et apud Menochium *Part.* 1. *Cap.* 52. perlegi possunt . Sat nobis erit afferre exemplum funestissimum de quadam Matre Urbis Cæsareæ in Cappadocia serm. 322. alias de diversis 31. relatum a D. Agustino hoc modo = *Frater noster natu major gravibus , atque intollerandis communem Matrem affecit injuriis, in tantum ut ei etiam manus non dubitaret inferre . Quod nos omnes Filii pariter congregati patienter tulimus , ut ne verbum quidem Fratri nostro pro matre nostra , cur hoc faceret , diximus . Illa autem fœminei doloris stimulis incitata , injuriosum Filium maledicendo punire constituit . Cumque . . . memorato Filio suo iram Dei imprecatura properaret ; tunc ei , nescio quis , in patrui nostri similitudine , intelligitur , dæmon occurrit , et ab ea prior , quo pergeret , requisivit . Cui illa , ad maledicendum Filio suo ob intollerabilem contumeliam se ire respondit . Tunc autem ille inimicus , quoniam in mulieris corde insaniente locum facile invenire potuit , ut omnibus malediceret persuasit . Illa autem vipereis inflammata consiliis . . . sparsis crinibus , nudatisque uberibus , hoc a Deo potissimum postulavit, ut extorres patria , et circumeuntes alienas terras , omne hominum genus nostro terreremus exemplo . Mox maternas preces efficax vindicta prosequitur* eum-

eumdemque continuo Fratrem nostrum ætate, culpaque majorem tremor membrorum ... invasit ... Servato autem ordine, quo nati eramus, intra unum annum eadem nos pæna omnes corripuit. Videns autem Mater maledictiones suas ad tantam efficaciam pervenisse, impietatis suæ conscientiam, et opprobrium hominum diutius ferre non potuit: Sed laqueo guttur adstringens luctuosam vitam termino funestiore conclusit. Egressi ergo nos omnes, opprobrium nostrum non ferentes, et communem patriam relinquentes passim sumus per diversa dispersi. Tandem addit. S. Doctor: *Duos ex his decem Filiis Paulum scilicet, et Palladiam ad se venisse, et cum S. Stephani Reliquiæ transferrentur, mirabiliter fuisse sanatos.* Confessarii igitur acriter corripiant Parentes dum se de prolatis contra Filios maledictionibus, ac imprecationibus accusant; ipsisque Absolutionis beneficium differant, donec sufficientia exhibent emendationis signa. Filii quoque discant Parentum maledictiones timere, ac non provocare Parentes ad istas contra seipsos promendas.

Disquisitio Duodecima

Elzearius, ut avitus suæ familiæ splendor servetur, Filiorum uni, quem summopere diligit, nobilem uxorem dare, & amplissimum Patrimonium relinquere cogitat. Ex quo cæteris nonnisi tenues facultates obvenire possunt.

Queritur. An licite?

RE-

RESOLUTIO

I. CAsus omnino simillimus huic, qui nunc discutiendus est, paucis abhinc annis gravissimas excitavit turbas inter eruditissimos Viros, quorum unus jam denatus est; alter ad supremam dignitatem in Ecclesia N.. Episcopus a Spiritu Sancto positus, evectus est. Plurimi, qui in utramque partem æditi sunt Libelli publici juris sunt, & ab ovo, uti dici solet, quæstionem exordiuntur, & tanta eruditionis copia pertractant, ut in tanta messis segete ne paleas quidem cæteris colligendas reliquisse videantur. Verum nimis, ut mihi videtur, indeterminate quæstionis statum aggrediuntur, & nimis generaliter definiunt; dum Unus vult omnes omnino Primogenituras licitas esse, et expedientes; Alter verò omnes absolute illicitas, & perniciosas contendit. Quamobrem quædam peculiariter observabimus, quæ in Primogenituris instituendis, & Donationibus Uni filiorum assignandis juxta conscientiæ forum præsertim attendenda sunt, ut hinc expositi Casus solutio cumulate perficiatur.

II. Totam Quæstionem ad duo D. Pauli Præcepta ad *Corinth. Cap.* 12. *v.* 14. *Ep. II. Et. Ep.* 1. *Cap.* 6. v. 12. scripta revoco. Primum docet Apostolus non debere Filios Parentibus thesaurizare, sed Parentes Filiis. Secundum monet plurima esse quidem, quæ licent, sed non expediunt. Ex primo ostendam grave incumbere Paren-

rentibus onus eam bonorum copiam Filiis relinquere, qua juxta proprii Status conditionem omnes vivere queant. Ex secundo evincam Legibus civilibus hac in re tuto standum non esse; atque hinc quibusdam peculiaribus circumstantiis examinatis, expositi Casus solutionem patefaciam.

III. In Primo itaque D. Pauli Testimonio, scilicet: *Parentes debent thesaurizare Filiis*; observandæ sunt particulæ illæ: *Debent*: *Thesaurizare*: *& Filiis*. Verbum *Debent* præceptum importat, ut omnes sciunt, qui Scripturam vel a limine salutaverint. *Thesaurizare* vero juxta constantem Scripturæ phrasim significat magnam nummorum, vel rerum aliarum prætiosarum copiam, quæ in longum ævum servetur. Ita apud *Mathæum Cap. 6.* legitur = *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Cap. 13. Simile est regnum Cælorum thesauro abscondito in agro... Et homini Patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera.* Et alibi passim. Parentes idcirco tenentur eam bonorum copiam servare, quæ post ipsorum obitum Filiis abunde sufficere valeat, saltem ut juxta Familiæ Statum vivere queant. Hanc autem bonorum copiam Parentes non filiorum Uni, sed Filiis, ut præcipit Apostolus, relinquere debent; scilicet, in omnium commodum, & utilitatem paternas opes ita distribuere debent, ut vere omnibus thesaurizasse dicantur. Hinc jure, meritoque decerno hujus Apostoli Præcepti transgressores esse Parentes illos qui res suas ita dividunt, ut unus Filiorum divitiis abundet, cæteri autem veluti Famuli vix alimenta necessaria percipiant; Quip-

pe in hoc casu non Filiis, sed Filio Parentes thesaurizaverunt.

IV. At, inquiunt, Leges civiles Romanorum Pontificum quoque Decretis firmatæ apertissime docent, Parentes nihil aliud Filiis debere, nisi solam Legitimam, approbantque Primogenituras, & Donationes in quibus ex Filiis Unus dumtaxat in totius hæreditatis paternæ dominium succedit; Reliqui vero solummodo portionem illam percipiunt, quæ legitima appellatur. Rem ita esse fateor; At ex legibus civilibus Conscientiæ normam sumere non semper tutum est. Plurima equidem licent, sed non omnia expediunt. En secundum D. Pauli monitum, Leges civiles, quæ secundum acta, & probata procedunt de externis dumtaxat facti circumstantiis judicium ferunt; Et juxta hujusmodi circumstantias factum licitum, vel illicitum pronunciant. Circumstantias autem internas, quæ secretum conscientiæ Tribunal respiciunt, Deo, & Confessariis Dei locum gerentibus dijudicandas relinquunt. Qui igitur actiones suas ex Legibus civilibus dimetitur, probat equidem eas licere coram hominum oculis; at non probat eas quoque expedire, quod D. Paulus præcipit.

V. Ut itaque Primogenituræ, Donationes, & alia id generis absque peccato fiant, non modo licere, sed etiam expedire debent; hoc est, non modo civiles Leges observandæ sunt, verum quoque circumstantiæ quædam attendendæ, quæ ad conscientiæ forum spectant. Enumeremus itaque

que has circumstantias, quæ erat tertia mei assumpti pars.

VI. Circumstantias, ex quarum defectu Primogeniturarum, et Donationum institutio peccatum est, tres præsertim observo. Prima est, opportuna Filiorum æducatio; Videlicet, debent Parentes indolem, et ingenium puerorum excolere, eosque optimis Præceptoribus tradere, ut disciplinas illas addiscant, quæ sint proprio statui accomodatæ, valeantque temporis decursu peculiarem filiorum fortunam promovere. Hæc Parentum obligatio ex superioribus *Disquisitionibus* demonstrata fuit. Hinc si ex Parentum negligentia Filii nullam disciplinam calleant, nequeantque proinde propriis industriis opes illas acquirere, quæ sunt proprio statui necessariæ; Quis non videt Parentes non modo peccasse ob negligentiam in Filiorum culturam, verum quoque debere resarcire damna Filiis ob eam negligentiam illata? In hac hypothesi si Parentes Filiorum Uni amplissimum Patrimonium relinquant, aliis vero nonnisi tenues facultates, miser istorum status cui imputandus est? Equidem Parentibus, qui culturam Filiorum negligentes eos effecerunt miseros non modo opibus, verum quoque necessariis Scientiis, et industriis ad opes adipiscendas.

VII. Secunda Circumstantia est, ut cæteri Filii in patrimonii divisione illud habeant, quo ipsi invicem Fratres maneant, non servi alterius Fratris. Quare peccatum, imo pessimam plurimorum peccatorum radicem dico Primogenitu-

ram

ram, aut Donationem illam, in qua cæteri Filii adeo tenuem legitimam habent, ut e proprio statu necessario decidant, atque ita Filio primogenito impares fiunt, ut non Fratres ipsius, sed famuli videantur. Peccata quæ necessario exoriuntur ex hac dispari filiorum fortuna, docet plusquam satis exemplum Filiorum Iacob, et domestica experientia confirmat.

VIII. Tertia Circumstantia est libertas vocationis. Ex omnium Theologorum, Sanctorumque Patrum doctrina omnes scimus, quanti intersit, ut quilibet statum illum vitæ eligat, ad quem divinitus advocatur. Optima status electio est Mysticum illud Synapis granum, cui Regnum Cœlorum simile esse dixit Christus Dominus. Semen hoc si spinis suffocetur, hoc est, si parvipendatur, æterna salus pene desperata est, ut omnes Evangelii Parabolæ ubertissime docent. Hinc si ex mala Primogenituræ, aut Donationis institutione Filiis quocumque modo libertas in eligendo statu auferatur; quis eam laqueum diaboli non appellet? Res sane nimis evidens est. Finge quod Filii, quibus tenuis patrimonii portio obvenit, stimulo carnis Angelo Satanæ colaphizentur, quibusque propterea, ut idem Paulus docet, melius sit nubere, quam uri; si id exequi nequeant ob tenues facultates a Patre sibi relictas; equidem una Patris culpa in summum plurimorum peccatorum, et amissionis salutis æternæ discrimen adducuntur.

IX. Hæc sunt, quæ in hoc negotio juxta con-

conscientiæ forum accurate observata præsentis Casus solutionem nitide patefaciunt. Scilicet, interrogetur Elzearius; Primo, utrum Filiis thesaurizavit, quomodo Apostolus præcipit: Secundo, utrum amplissimum patrimonium Filiorum Uni relinquere non modo juxta civiles leges liceat, verum quoque juxta conscientiæ tribunal expediat, prout idem Apostolus monet. Tertio, an Filiorum ingenium eque excoluit, ut eas disciplinas apprehenderent, quibus paternas opes augere possent; et an facultates cæteris relictæ vere sufficiant, tum ut omnes juxta familiæ gradum opportune vivant, tum quoque ut electionem status quisque libere aggredi queat. Si hæc omnia Filiis integra maneant, nullius peccati reum ipsum agnosco. Sin autem in aliquo Filiorum jura lædantur, væ Elzeario a scandalis, hoc est, a peccatis, quæ ex mala patrimonii dispositione exoriuntur.

Disquisitio Tertiadecima.

Pomponius plures Famulos habens, interrogatur a Confessario, utrum aliquam erga spiritualem eorumdem salutem sedulitatem adhibeat. Respondet Pomponius se rebus aliis distentum huic sollicitudini vacare non posse. Quare graviter a Confessario reprehensus, inabsolutus dimittur. Verum ea reprehensione perterrefactus, Famulorum mores introspicere incipit, detegitque aliquos vix prima Christianæ doctrinæ rudimenta scire; & unum perditissimam

simum esse. Rediit idcirco ad Confessarium, qui ipsi jubet, ut Famulorum inscitiæ occurrat; scelestum vero e domo ejiciat, si correptus non emendetur. Atque interim absolutionem suspendit, donec manum operi non admoverit. Pomponius caussas capit; quod nempe plurima sunt domestica negotia, quæ a famulis perfici debent; hora verò, qua in Parochiis doctrina explicatur, prandium apponi solitum, improbum denique illum Domui suæ nimium utilem esse, & ejectum facile pejorem evasurum.

Quæritur: 1. An Confessarius optimum Ministrum se præbuit? 2, Quid de caussis dicendum a Pomponio concinnatis?

RESOLUTIO

I. UT rectum de Pomponio, ejusque Confessario judicium feratur, satis est, enumerare Officia, quibus necessariò Domini erga Famulos, & Domesticos suos incumbere debent. Hæc ex Concilio III. Mediolanensi sub Sancto Carolo breviatim recenseo. Primo: *Domini curare debent, ut nemo quisquam de Familia sua sit, qui Christianæ Fidei rudimentis instructus non sit.* Secundo: *Ut frequenter universa familia confiteatur, & sacram Eucharistiam sumat... Festis autem diebus Missam audiat, & ad sacras Conciones, Lectiones, supplicationes, divina Officia, aliasque pietatis Christianæ Exercitationes conveniat....* Tertio: *Ut vigilias, & quatuór tempora, & Quadragesimæ, &* alia

alia statuta jejunia accuratè servent... Quarto denique Domini non patiantur in familia sua esse quempiam, qui blasphemus sit, qui perjurius, qui item corruptis moribus utatur, qui obscœnum quidquam vel loquatur, vel agat; qui denique cæteris turpis vitæ exemplum præbeat. Qui hanc Domesticorum suorum curam non habet fidem negavit, & est infideli deterior.

II. Confessarius itaque optimè sese gessit, dum Pomponium omnia hæc Officia negligentem graviter reprehendit, & inabsolutum dimisit. Gravissimum equidem malum, quod nostris præsertim diebus nimis serpit; Quodque Dei favente auxilio a Cristiana plebe exterminaretur omnino, si Confessarii omnes Confessarium Pomponii imitarentur, si scilicet, non modo peccata Caroli, verum quoque peccata Cæsaris inquirerent, & mederi conarentur. Remedium penè unicum, & efficax est, si cum Confessario Pomponii absolutionis beneficium negarent omnino, donec hujusmodi Homines Officiis suis non fecerint satis.

III. Caussas verò a Pomponio concinnatas ineptas dico. Si enim ad animas nostras servandas Christus Dominus dixit oculum quoque eruendum esse, & dexteram manum, & pedem abjiciendum, hoc est, ut cum cæteris Patribus Hieronymus in *Homilia* 57. interpretatur: Omnium rerum temporalium, Consanguineorum, & vitæ ipsius jacturam ferre debemus, si caussa ruinarum spiritualium illa nobis sint, quanto magis Pomponius tenebitur domestica negotia imminuere,

re, prandii horam immutare, ut hinc ipsius familia Christianis operibus possit vacare? Quod vero servus scelestus Pomponio utilis sit, & fortassis pejor evasurus, si e domo ejiciatur, futile omnino est. Pomponius illum semel, & iterum corripiat, & a se omnino projiciat, si non emendetur; jubente Domino, ut si peccator nec Nos, nec Ecclesiam audierit, sit Nobis veluti Ethnicus, & Publicanus, cum quibus D. Paulus jussit, ut nec cibum sumamus.

IN QUINTUM DECALOGI PRÆCEPTUM

Disquisitio Prima

Princeps Legem sancivit, ne quispiam in quodam nemore venationem exerceat sub pæna scutorum triginta. Macrobius nihilominus sæpè illuc venatum petit, & quodam die fit, ut ibi, scopleto disploso, feram occidere arbitratus, duos Homines mactaverit; quorum unus hostis ipsius est, de cujus cæde proinde gaudet.

Quæritur 1. Utrum eam Principis Legem parvipendens Macrobius peccaverit? 2. An eidem utriusque hominis cædes sit imputanda?

RESOLUTIO

I. PRincipalioribus, qui praxim spectant, Casibus enodatis ad quartum Decalogi Præceptum per-

pertinentibus; Ad quintum pertractandum progredimur, omissis de more fastidiosis illis Metaphisicæ Quæstionibus, quibus Doctores nonnulli ad nauseam usque Theologias suas onerarunt. Quinto Decalogi Mandato homicidium prohibetur, & his verbis exprimitur *Exodi Cap. 20. Non occides*. Hujus prohibitionis vis omnis, & magnitudo conspicietur statim, si ejusdem jus, & fundamentum in suo lumine collocetur. Hominum vita ad Dei dominium immediatè spectat. Undè Nostrum, cæterorumque Hominum vita consideranda est veluti res cujus Dominus est unus Deus, hominesque eam habent veluti rem sibi depositam, & commodatam. Leges itaque omnes, quas servandas Justitia docet circa Depositum, & Commodatum, ad humanæ Vitæ negotium, ejusque conservationem transferendæ sunt. Hæc ergo sit veluti basis, & principium, quo omnes expositi Casus examinandi erunt; scilicet, nostrum, aliorumque Hominum vita tuenda, & servanda est ea diligentia, qua rem quocumque pretio longe eminentiorem nobis depositam, & commodatam tueri, & servare debemus.

II. Leges hujusmodi, prout fusè habetur ex Jure Canonico *Cap. Unico de Commodato* ad hanc præcipuè reducuntur; ut nempe cum Commodatarius in gratiam, utilitatemque suam Commodatum recipiat, de levissima etiam culpa teneatur, præsertim si res commodata bonum sit ejus generis, quod amissum ad æqualitatem resarciri nequeat. Hominum vita bonum est hujusmodi,

quod

quod nobis Deus elargitus est, ut per eam non modo simus quidquid sumus, verum quoque felicitatem æternam lucrifaciamus: Ipsaque amissa, nullo auri, & argenti cumulo resarciri potest. Eam itaque Deo Commodatori ita servare debemus, ut bona cætera inferioris ordinis centies pessumdemus potius, quam vitam aut nostram, aut alterius hominis in mortis discrimine adducamus.

III. Vicissim Commodatum inæstimabilis quoque pretii, si, sublata levissima quacumque Commodatarii culpa, pereat, Domino perit, et Commodatarius in nullam criminis labem incurrit. Hinc pari jure si vitam nostram, aut alterius hominis perdamus, homicidii rei dici nequimus, dummodo ad eam servandam ne levissimam quidem culpam commisserimus, hoc est, dummodo eam diligentiam, et circumspectionem adhibuerimus, quam diligentissimi, et prudentissimi Viri in supremi momenti negotiis observare solent.

IV. Hinc profluit Præceptum de moderamine inculpatæ tutelæ in hominis occisione servandam. Præceptum hoc tria expostulat. Primum: Ut homo occidendus sit vere injuste aggressor. Secundum: Ut sit vera, et necessaria defensio, facta scilicet, in ipso aggressionis actu. Tertium: Ut omnes circumstantiæ quantum fieri potest examinentur, ne negligenter, et incaute de hominis vita negotium agamus.

V. Hinc etiam alterum consequitur, videlicet; Homicidii reum esse, qui in re injusta, ac illi-

illicita, vel absolute, vel relative ad statum suum occupatus, hominem occiderit. Exempli loco: Scopletum noctu furatus sum; at cum fugiebam, casu fit, ut scopletus displodatur, et hominem occidam a longe stantem, quem videre non poteram. Item in medio plateæ adsum cum Boves exagitantur. Taurus in angulo stat, quem ego clamoribus, saxisque in rabiem ago. Bellua lacessita improviso cursu prosiliens, hominem aggreditur, et mactat. In primo casu furto operam dabam, quod absolute illicitum est. In secundo, Taurum exagitabam, quod licet absolute peccatum non sit, relative tamen ad statum meum, non unice quia Religiosus, verum etiam quia ecclesiastica fungor Persona, actio est indecora, et moraliter mala, ideo in utroque homicidii reus fui. Ratio evidens est. Qui enim rem illicitam, et injustam operatur, ratione abutitur, prudentiam contemnit, diligentiam omittit, qualis Creaturam rationalem, et christianam maxime decet. Ea igitur actio ratione, prudentia, et diligentia caret, ac proinde culpa est, et peccatum. Hinc cum ex demonstratis si res aliena pereat, ejus amissio illi imputanda est, cujus negligentia, imprudentia, et culpa perit; legitime consequitur illorum hominum mortem, seu amissionem vitæ, quæ Dei res est, mihi jure esse imputandam cum ex mea imprudentia, et negligentia culpabili eorumdem mors evenerit. Stat itaque inconcussum homicidii reum esse, qui in re injusta, et illicita vel absolute, vel relative ad Statum suum occupatus, hominem occiderit.

VI. Hæc

VI. Hæc in antecessum explicanda censui, ut fontes patefierent, quibus tota Quinti Præcepti Materies derivatur, et omnis tum præsentis, tum subsequentium Casuum Solutio proficiscitur. Nunc igitur rem hisce supra relatis Quæstionibus applicemus.

VII. Quæritur, Utrum Macrobius peccaverit, ipsique duorum Hominum cædes sit imputanda. Sciscitor, utrum aliqua ipsius culpa, negligentia, et imprudentia id evenerit. Justa expositum Casum Macrobius homines illos mactàvit, dum in Nemore venationem exercebat a Principe prohibitam. Igitur assero ipsum duplicis homicidii reum esse. Id ex demonstratis legitime consequitur. Nam homicidii Reus est, qui in re illicita, et injusta occupatus, hominem occidit: Atqui Macrobius duos occidit homines, dum occupatus erat in venatione, quam Princeps prohibuerat, et quæ proinde culpa erat, et peccatum, clamante D. Paulo; necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; Ergo duplicis homicidii reus est Macrobius.

VIII. Hæc est harum Quæstionum generalis solutio, quam subsequentibus Disquisitionibus minutatim enucleabimus. Interim unum observabimus, scilicet; dixi, Macrobium peccasse dum Legem Principis prohibentis in dato nemore venationem, ipse parvipendit. Hanc meam assertionem stabilivi ex D. Paulo docente: Superiorum Potestatum Legibus obtemperandum esse non modo ob pænæ timorem, verum quoque ob conscientiam

tiam

tiam.. Quare concludo quamlibet Legem, quæ manifeste injusta non sit, non modo timorem pœne præseferre, verum quoque conscientiam obligare. Scio Leges alias absolutas dici, alias conditionatas. Lex absoluta ea est, quæ aliquid absolute prohibet, vel imperat pœna vel determinata, vel indeterminata; hujusmodi est, quæ in casu habetur, scilicet, prohibitio ne quis in ea Silva venationem exerceat sub pœna Scutorum triginta. In qua Lege duplex habetur obligatio. Prima, ne quis in eo loco venationem exerceat. Secunda, ut exercentes scutata triginta solvant. Lex conditionalis ea est, quæ conditione posita, dumtaxat obligat. Ita esset, exempli gratia: Aut vinum extra Provinciam non deferatur, aut pro quolibet dolio, quod extrahitur, solvatur scutum unum. Cujus Legis obligatio versatur dumtaxat circa solutionem unius auri: Et quod sub peccato solvere tenetur, qui vinum extra Provinciam deportat: Ex quibus patet quamlibet Legem obligationem præseferre, quæ non modo pœnam civilem trangressoribus minitatur, verum quoque conscientiæ culpam, et peccatum.

IX. Adversantur tamen Casuistæ quidam asserentes Leges civiles esse merè pænales, quæ nullatenus conscientiam obligant. At væ Casuistis, omnibusqoe sectantibus eos! Cæci sunt, et Cœcorum duces. Equidem ubinam in Scripturis Sanctis, Sanctorum Patrum traditionibus, et Conciliorum, Romanorumque Pontificum Decretis perlegerunt, Leges esse mere pœnales? Sane tota anti-

antiquitas cum D. Paulo clamat : *Qui resistit Potestati , Dei ordinationi resistit . Qui autem resistunt , ipsi sibi damnationem acquirunt* . At hi non sunt fontes , quas in decisionibus Moralibus Casuistæ adhibere solent . Ipsi propriam phantasiam , et ingenium consulunt , atque sectantur . Si aut Scriptura , aut Traditio contraria ipsis est , parum refert. In promptu enim habent distinctiunculárum , et præcisionum acervum , quibus Scripturæ , et Traditionis vis eluditur , et sensus ad propriam libidinem accomodatur . Nonne de hisce Hominibus , qui , ut proprium ingenium sequantur, Scripturam, et Traditionem negligunt , jure dixerim , quod de populo suo clamabat Jeremias *Cap.* 27. *Dereliquerunt Fontem aquæ vivæ , et foderunt sibi Cisternas dissipatas , quæ continere non valent aquas ?* Firmiter igitur teneamus Superiorum jussis semper obtemperandum esse , non modo ob timorem pænæ civilis , sed præsertim ob conscientiam , quæ ex inobedientia æternæ damnationis periculo exponitur , ut docet D. Paulus loco laudato .

Disquisitio Secunda

Demophilus sæpe ex insidiis Agamennonis vita periclitatus , nunc certo scit ab eodem necem sibi illatum iri . Quare mandat Sicario , ut Ipsum Agamennonem occidat . Sicarius non modo Agamennonem , sed etiam Uxorem , et Famulam perimit .

Quæritur 1. *An liceat antevertere mortem ab*

ab injusto aggressore certo inferendam, ipsum occidendo? 2. An Demophilo Mors illarum duarum Mulierum imputanda sit?

RESOLUTIO

I. REsolutio hæc ex principiis, quæ in superiori Disquisitione adduximus *n.* IV. *et* V. naturaliter profluit. Quapropter Dicimus Demophilum illicite prævenire Mortem ab Agamennone certo sibi inferendam, ipsum occidendo, utpote quia inculpatæ tutelæ moderamen non servavit, quod *ut n.* IV. ostendimus, necessario expostulat, ut defensio sui ipsius a quolibet fiat in ipso aggressionis actu.

II. Dicimus quoque mortem illarum duarum mulierum Demophilo imputandam esse. Enim vero ipse Sicarii ope utens ad hominem interficiendum, rem equidem absolute illicitam operabatur, et ex eadem illicita actione homicidia duarum Mulierum subsequuta sunt. Atqui homicidia, quæ ex illicita actione proficiscuntur, illi imputanda sunt, qui actionem illicitam ponit; Ex *n.* V. *cit.* Ergo Demophilo homicidia duarum illarum Mulierum sunt imputanda.

Disquisitio Tertia.

Facultatem occidendi Antonium Princeps quilibet, præmio etiam indicto, impertitus est: Antonius

tonius vitam servaturum desperans, quadam nocte Principem trucidare stabilivit. Execrabilis proditionis conscius fit Servilius ejus Filius,

Quæritur 1. An in foro conscientiæ cuilibet liceat occidere Antonium? 2. An hoc etiam Filio? 3. Quid faciendum Servilio sit, scienti in Principis Vitam Patrem machinari?

RESOLUTIO

I. VI quinti Decalogi Præcepti colligimus hominum vitam ad divinum jus immediate pertinere, neque jus hujusmodi absque gravissima injuria ab ullo Hominum usurpari posse, nisi Deus illud peculiari concessione elargiatur. Quare cum supremis Postestatibus hoc jus Deus impertitus sit, juxta illud Apostoli ad *Romanos Cap. 3. Si malum feceris time* (Potestatem): *Non enim sine caussa gladium portat: Dei enim Minister est: Vindex in iram ei, qui malum agit*. Hominem itaque occidere auctoritate privata, nefas; pubblica licitum.

II. Ex hac doctrina, nec non ex superius allata, facile profluit primi hujus quæsiti solutio, nempe cuilibet licitum esse Antonium interficere. Nam ex D. Paulo publicam auctoritatem habentibus licitum est hominem occidere: Atqui Princeps Subditis suis publicam hanc facultatem elargitus est, ut Antonium necarent; Ergo subditis omnibus licet eumdem interimere.

III. Tria

III. Tria tamen observanda sunt. Primum id licere, si Antonius gravis alicujus facinoris probatus juridice reus fuerit. Quippe insontes perdendi Principes nullam habent auctoritatem, nullamque proinde subditis communicare queunt. Secundum si manifeste reus fuerit, tunc a quolibet mors eidem inferri potest ex amore erga publicum bonum, non autem ex privato odio: Odium enim peccatum est, et pessima peccatorum radix. Tertium: Principis auctoritas intra fines Regni, et Provinciæ sibi subjectæ continetur. Hinc Antonius in Regionibus ubi Principis dominium non extenditur, Principis auctoritate, quæ ibi nulla est, occidi non potest.

IV. Quamvis autem quilibet subditus publica auctoritate ad homines malos perdendos insigniri queat; Hoc tamen nunquam Filiis, et Consanguineis adversus Parentum, et Propinquorum vitam elargitur. Talem enim facultatem nimis natura abominatur, nec unquam jura Filiis impertiuntur, quæ quodlibet testimonium Filiorum adversus Parentes rejiciunt.

V. Remanet tertia Quæstio, ubi decernendum est, quid facere Servilius debeat, sciens Patrem in Principis vitam machinari. Ut hac de re accuratè dijudicetur duo observanda sunt. Primum juxta Dei mandatum Deuteronomii *Cap.* 3. Ecclesiasticos Canones, et laudatam D. Pauli doctrinam, Filii tenentur accusare Parentes suos (*Disquis. in IV. Dec. Præc. n. III.*) in criminibus adversus Fidem, scilicet, ad Sanctum Officium spectantibus.

Se-

Secundo juxta Leges civiles, et Canonicas ab Ecclesia receptas crimina lesæ Majestatis ejusdem ordinis sunt, ac crimina ad Sanctum Officium pertinentia. Igitur si in criminibus Sacræ Inquisitioni reservatis Filii tenentur suos ipsos Parentes denunciare, tenetur quoque Servilius horridum Patris machinamentum detegere. Servilius itaque omnem adhibeat operam, ut Patrem ab enormi molitione coerceat: Quod si eumdem in tam nefando facinore patrando obstinatum perspiciat, Carni, et Sanguini valedicat, et imminentem proditionem revelet, bono publico sic exigente. Etenim ideo in criminibus, quorum caussa Fides periclitatur, Filii debent suos Parentes denunciare, quia tunc publica animarum salus maximo periculo objectatur. Sed Vita Principum quoque est totius Reipublicæ, et societatis fulcrum, quæque proinde facinorosorum hominum insidiis exponi non potest, quin tota hominum societas exterminetur; Ergo in utroque casu publico bono privato cuilibet prævalente, Filii Parentes proditores denunciare, ac detegere debent.

Disquisitio Quarta

Hercules carcere detentus omnem adhibet vim, ut carcerem rumpat, fugiatque. Tandem fit, ut, ignario fortuito reperto, decusso igne, & Januis excepto totus carcer incendatur. Hinc ipse, aliique, qui in proximis custodiis includebantur, hanc occasionem veluti e cælo delapsam arripientes, ex tecto

tecto in viam periculoso saltu prosilierunt; ex quo fractis membris, post paucos dies, omnes mortui sunt.

Quæritur 1. An Captivi licite queant carcerem disjicere, atque aufugere? 2. An Hercules, & Socii suicidii rei habendi sint?

RESOLUTIO

I. DUæ hac in Disquisitione Quæstiones enucleandæ occurrunt, quarum solutiones ex iis, quæ supra observavimus, atque exposuimuus principiis, veluti totidem ex suis fontibus rivuli sua sponte derivantur. Eadem igitur hac in Disquisitione dumtaxat indigitabimus.

II. Humanæ vitæ nemo hominum Dominus est, ut ad arbitrium projicere eam possit. Sicuti enim in hanc vitam non nostra sponte venimus, sic nec nostro libitu ab ipsa recedendum est, sed illius voluntas expectanda, qui Nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec jubeat emitti. Hominum igitur Vita Dei res est. Rem hanc nobis omnibus, & singulis Deus conservandam commendavit. Hinc lumen vultus sui signavit super Nos; scilicet, in nostro intellectu, ut pericula percipere, & cavere possemus. Voluntati quoque indidit dilectionem, quæ juxta Scripturæ phrasim: *Fortis est ut mors*, qua nos cum nobismetipsis, cæterisque hominibus amicitia, veluti arctissimo vinculo colligaremur. Hinc naturale jus ad vitam nostram, cæte-

cæterorumque hominum tuendam nemini ignotum esse debet. Hoc jure nemo nos exuere potest, nisi Deus, aut qui Dei vices gerunt, summi nempe Imperantes, qui Dei loco stant, per ipsum regnant, imperant, & decernunt justitiam. Hi, ut loquitur D. Paulus ad Rom. *Cap. 13. Non sine caussa gladium portant; Dei Ministri sunt; Vindices in iram ei, qui malum agit.* Ac propterea qui malum agit, excidit statim a jure in vitam suam tuendam, et jus hoc in Principis potestatem totum transfertur. Ex his principiis quæ fuse in suprapositis Disquisitionibus explicavimus, hæ consecutiones ad hasce quæstiones dirimendas necessario colliguntur.

III. Prima: Deus donavit summis Imperatoribus jus in vitam illorum, qui malè agunt ex D. Paulo. Iura lædere, quæ Deus donavit illicitum est. Disrumpentes carcerem, ut a gladio Principis aufugiant, si malum egerunt, jus lædunt, quod Principi Deus in vitam ipsorum donavit. Igitur Hercules, aliique, si malum egerunt, scilicet, si rei sunt, disjicientes carcerem, ut Principis Potestatem declinarent, illicite sese gesserunt.

IV. Secunda: Hominum Vita Dei res est. Igitur qui absque Dei jussione eam perdunt, vel perdendi periculo scienter exponunt, suicidii rei sunt; ac proinde Hercules, aliique, qui summo mortis periculo sese exposuerunt, si periculum illud sciverint, aut saltem scire debuerint, suicidii rei sunt habendi.

V. Hæc

V. Hæc est veluti generalis expositarum Quæstionum solutio, quam tamen peculiaribus quibusdam observationibus in meliori lumine collocabimus. Quare dixi primo: Herculem, qui incenso Carcere aufugit, illicite sese gessisse; dummodo alicujus criminis reus fuerit, ob quod jure in carceribus detineretur. Quod equidem evidenter demonstravi ex eo quod in tali hipothesi jus illud violaverit, quod Deus Principibus in vitam facinorosorum hominum elargitus est. At hic quæri potest an id Herculi licuerit, si innocens in carcerem detrusus fuerit. Hæc quæstio distingui debet, ut accurate dirimatur, scilicet; aut Hercules innocens sperat innocentiam suam patefactum iri; vel certo, aut saltem probabiliter timet fore ut, aut Judicum malitia, aut Accusatorum vafritie iniqua sententia in ipsum intorqueatur. Si primum, rem illicitam ipse patravit a carcere aufugiens. Judices enim, et Magistratus jus habent ad detinendos in Custodia homines quoque innocentes, usquedum indicia desumant, quibus aut ipsorum innocentia juridice probetur, aut aliorum malitia patefiat. In hoc itaque casu, qui a carcere aufugit, hoc jus lædit; peccat igitur. Sin autem certo scit sese innocentem condemnatum iri, tunc absque culpa cum D. Petro, qui per Angelum ab Herodianis vinculis liberatus fuit; et cum D. Paulo, qui a custodia Aretæ Regis a Fratribus demissus est in sporta, potuit Hercules quoque fugam arripere. In quacumque autem hypothesi carcerem totum tam pernicioso incendio, prout in Casu exponitur com-

comburere, semper illicitum. Non sunt enim facienda mala, ut veniant bona, clamat D. Paulus.

VI. Dixi secundo Herculem, et Socios suicidii reos decernendos esse, si periculum in quod sese injecerunt, sciverint, aut saltem scire debuerint. Hujus conditionis necessitas quemlibet patet. Servare enim vitam nostram omnino debemus. At pericula, quæ nec scimus, nec scire possumus, cavere non præcipimur; quia ad impossibilia nemo tenetur.

Disquisitio Quinta

Lucullus iniquè Silvium lacessens, inita pugna, a Silvio superatur: Mortem imminentem pertimescens, vitam a Silvio deprecatur. Silvius furore percitus negat; Unde iterum excrudescente pugna, evenit, ut Lucullus, cui jam nex imminebat, nacta facili occasione, Silvium mortali inflicto vulnere jugulaverit, alio modo vitam non servaturus.

Quæritur 1. An ad sui defensionem hominem occidere liceat? 2. An Lucullus ab homicidii culpa sit excusandus?

RESOLUTIO.

I. EX Principiis præterita in Disquisitione præmissis n. II. duo alia colliguntur consectaria, quæ præsentes hasce Quæstiones dirimunt. Primum est:

est: Ex Dei voluntate quilibet homo jus habet ad vitam suam servandam. Cum autem jura sunt æqualia, jus proprium alieno prævalet; hoc est, existente casu, quo jus meum servare nequeam, nisi æquale alterius hominis jus subvertatur, et ad meum jus servandum homo ille injuste sese opponat, tunc merito hominem suo jure expolio, ut meum servem. Atqui hic est casus injustæ aggressionis in quo vitam meam servare non possum, quin invasoris vita deperdatur, et invasor ad vitam meam tuendam injuste sese opponit. Ergo merito invasoris vitam destruo, ut meum servem. Hoc autem intelligendum est cum moderamine inculpatæ tutelæ.

II. Secundum est: Hoc moderamen inter alias conditiones, prout suo loco explicavimus, exigit, ut alterius occisio ex una dumtaxat sui defensione exoriatur: Atqui occisio Silvii producta non est a Lucullo ex una dumtaxat suimet defensione, sed principium habuit ex aggressione ejusdem Luculli, qui prius Silvium lacessivit, et armis ad pugnam coegit; Ergo Lucullus Silvium interimens moderamen inculpatæ tutelæ non servavit; atque idcirco reus est homicidii.

III. Hæc est hujus Casus veluti generalis solutio, quam tamen aliquibus observationibus ad meliorem claritatem reducemus. Quare dixi primo: Fas esse injustum vitæ aggressorem, adhibito necessario moderamine, interficere. Hac de re observo Legibus naturalibus, et civilibus hujusmodi defensionis genus permittentibus non pau-

ca adversari Sanctorum Patrum téstimonia, et exempla, necnon nonnulla sacrorum Canonum, et Romanorum Pontificum decisiones. Hæc peculiari examine prosequi, et explicare breves harum Disquisitionum limites non permittunt. Quare brevi methodo utraque conciliabo, scilicet: Leges naturales, et civiles defensionem, et occisionem injusti invasoris generice considerant, quæ equidem, adhibito debito moderamine, licita est. Patres autem eamdem spectant in individuo, prout nempe accidit. In praxi enim impossibile est, ut hæc defensio intra cancellos debitæ moderationis coerceatur; Et cum hinc et inde pro capite dimicetur, omnesque animi motus laxatis debbacentur habenis, fieri nequit, ut nullus vindictæ et odii excitetur affectus, et ensis ictus ad stateram ponderentur. Fieri idcirco nequit, ut invasoris occisio patretur absque livore, et rabie; quod Sancti Patres respicientes quamlibet occisionem ob defensionem sui factam diris voverunt. Ita quoque cum antiqua Sinagoga Patres omnes Telonarii Officium execrati sunt, quamvis ipsum generice spectatum, non modo licitum sit, verum quoque absolute necessarium. Quid enim opportunius, quam quod aliquis sit, qui vectigalia, et tributá nomine Principis recipiat? Attamen quia in praxi difficillimum erat, ut qui eo munere fungerentur in plurimas non laberentur culpas, ideo apud antiquos Patres Telonio stantes non bene audiebant. Ita ad rem nostram. Occisio injusti Aggressoris debito moderamine servato necessaria est, et naturæ

turæ, atque Societati conformis. At quia in praxi fere semper eo moderamine destituitur, merito Sancti Patres eamdem viro Christiano veluti grave peccatum prohibuerunt.

IV. Dixi pariter Lucullum quamvis alio modo vitam suam servare nequiret, nisi Silvium perimendo, reum fuisse homicidii. Hoc ex prima Disquisitione patet, ubi conditiones explicantes ad moderamen inculpatæ tutelæ prærequisitas, observavimus hujusmodi moderamen ab eo nequaquam servari, qui absque publica auctoritate dat caussam, ex qua suapte natura homicidium sequitur. Hinc Lucullus, qui Silvium injuste lacessivit, et in pugnam traxit, ex qua Silvius periit, absque publica certe auctoritate caussam posuit, ex qua immediate, et suapte natura, quomodo in qualibet pugna evenire solet, homo interfectus est. Ergo moderamen inculpatæ tutelæ Lucullus excessit, et homicida fuit. Qui hujusce rei copiosiorem explicationem exoptat, consulat Tostatum Episcopum Abulensem *Part. 2. Comm. in Math. Cap. 5. Et decretalem Alexandri III. Cap. Presbyterum.*

Disquisitio Sexta.

Manlium cum Uxore ruri degentem facinorosi quidam aggrediuntur, Uxoris honorem, et Domus supellectilem expilaturi. Deprecatur ipse, clamores tollit: At nemo audit. Rem desperatam conspiciens duorum Sclopetorum ictibus, unum occidit, alterum vulnerat, cæteros fugat.

Quæritur: An licite hoc faciat? RE-

RESOLUTIO

I. AD cumulatam quinti Præcepti pertractationem perficiendam Casus iste superest excutiendus, et subsequentes etiam, in quibus ad conflictum adducuntur jura illa, quæ ex una parte vitam nostram, et aliorum hominum servandum esse exigunt: Ex altera vero nostrum honorem, et fortunæ bona tuenda exflagitant. Quanta hac de re Theologi in utramque partem opinati fuerint, atque disceptaverint incredibile dictu est. Unde me non mediocri repræhensione dignum nonnemo fortassis arbitrabitur, quod nempe intra breves unius Disquisitionis cancellos complecti voluerim immensam pene Disputationum copiam, quam Viri quoque summi magnis æditis Voluminibus non satis enucleasse videntur. At facile ab hac criminatione me excusatum iri quisque nitide perspiciet, qui animadverterit me apud Homines verba facere doctrina, et experientia in rebus præsertim moralibus maxime hornatos. Rem itaque breviter conficiamus.

II. Ad vitam propriam tuendam injustum Aggressorem occidere, adhibito debito moderamine inculpatæ tutelæ, licitum est, si speculative, hoc est, si generatim rem accipiamus. At in praxi, videlicet, si omnes circumstantiæ pensitentur, illicitum esse experientia omnium Sanctorum Patrum voto confirmata plusquam satis testatur. Ergo a fortiori illicitum erit injustum Aggressorem interfi-

terficere ob defensionem honoris, aliorumque temporalium bonorum. Sed profundius exordiamur; et adhibita Sanctuarii Statera, hoc est, Evangelii doctrina, ponderemus quanti ab homine Christiano honor, et temporalia bona facienda sint. Honor, de quo in casu loquimur, est bona hominum æxistimatio, qua ab ipsis credimur Viri virtutibus omnibus spectatissimi. Hanc Hominum æxistimationem cum cæteris hujus Mundi bonis flocci faciendam esse, Præceptoris nostri exempla docent; Qui, ut ait D. Petrus, *cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non criminabatur, et tradebat judicanti se injuste*; Quique rotundis literis scriptum reliquit. *Gaudendum esse cum maledixerint nobis homines*; *Et beatos esse, qui persecutionem patiuntur propter justitiam*. Hinc Apostoli, et Christiani omnes, qui pie in Christo Jesu vivere voluerunt, hilariter persecutionem propter justitiam patiebantur. Atque ut omnia cum D. Gregorio complectar: *Sapientia Justorum est... Nullas injuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti alteram maxillam præbere. lib. 10. Mor. Cap. 16.* Hæc fuit Christi Domini nostri, et Sanctorum Patrum doctrina, quæ quidem per quindecim sæcula in Ecclesia Dei inconcussa perseveravit. Hanc Magistri quidam prurientes auribus posterioribus sæculis tenebris offundere cæperunt, et vana diverticula excogitantes oppositam stabilire conati sunt: Tunc primum inter Christianos auditum est: Li-

citum

citum esse Viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre: Et merito posse interfici furem pro conservatione unius Aurei. Quas equidem Propositiones Summi Pontifices anathemate iterum, et tertio confixere.

III. Ex hac doctrina has colligo consecutiones. Prima: Verum Christiani Hominis honorem ab humano judicio non pendere, sed a judicio Dei. Quod D. Paulus illis verbis significavit, scilicet: *Pro minimo est, ut a Vobis judicer, aut ab humano die; Sed Gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ*. Igitur vana Hominum æxistimatio est falsus honor, quem Christianus contemnere debet: Atque proinde hominem occidere ad honorem hujusmodi tuendum gravissimum peccatum est.

IV. Secunda: Ante sæculum decimum sextum in Ecclesia Christi inauditum fuit truculentum illud dogma, quod nempe liceat ob conservationem bonorum temporalium injustum invasorem occidere; sed semper creditum est, firmiterque retentum, scilicet, rapienti resistendum non esse. Quod ipsemet Jesus manifestissime docuit, inquiens: *Qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei, et pallium*. Igitur adversus hanc doctrinam peccant illi, qui hominem occidunt, ut sua bona tueantur.

V. Hujusmodi consecutiones, quæ recentioribus delicatulis Christianis fastidiosæ nimis videntur, iisdem pene verbis stabilitæ sunt in Decretalibus Alexandri III. *Cap. Suscepimus*. Et Innoc-

noc. *IV. Cap. Si vero*. Quorum primus decrevit reos esse homicidii duos Monachos, quorum alter duos latrones nocturnos interfecerat, qui ipsum spoliare vestibus volebant. Secundus vero expressis verbis sancivit moderamen inculpatæ tutelæ nullomodo servari ab eo, qui pro rebus temporalibus hominem interficit.

VI. Hinc prodit argumentum ad primum Casum decidendum. Juxta Christi, Sanctorum Patrum, et Romanorum Pontificum doctrinam homicidii reus est, qui pro rebus temporalibus tuendis hominem occidit. Atqui Manlius hominem unum interfecit ad tuendum falsum Uxoris honorem, et Domus suæ supellectilem, quæ nonnisi temporalia bona sunt. Ergo Manlius homicidii reus est.

VII. Adversus hujusmodi assertionem innumera pene sunt, quæ a Casuistis opponuntur: Quæ tamen ad tria facile revocantur. Primum est: Honorem esse vita ipsa prætiosiorem: Secundum: Fortunæ bona esse aliquando adeo necessaria, ut ipsis ablatis vita ipsa summopere periclitetur. Tertium: Si Lex Evangelica vere prohiberet, ne rapientibus resistamus, faveret magis hominibus facinorosis, quam bonis; Quod esset idem ac societatem funditus evertere. Hæc, et alia usque ad nauseam Casuistæ crepant, quæ tamen unica responsione corruunt. Videlicet: Ecclesia, quæ Apostolica est nonnisi doctrinas recipere potest, quas Apostoli verbo scripto, aut tradito docuerunt: Et novas doctrinas cane pejus, et angue

gue execratur. Atqui hæc Casuistarum doctrina ab Apostolis tradita non est, et ante sæculum quintumdecimum in Ecclesia nunquam audita fuit; Ergo doctrina nova est, et cane pejus, et angue execranda. Argumentum ex novitate doctrinæ desumptum quanti valeat, Theologi sciunt; ipse enim est lidius ille lapis, quo hæreses omnes detectæ, et exterminatæ fuerunt.

VIII. Verum singulis breviter, et peculiariter respondeamus. Itaque inquiunt primo. Honor est vita prætiosior. Sciscitor de quo honore Casuistæ loquuntur? De Conscientia bona, in qua Christianorum honor situs est; aut de Hominum æxistimatione, in qua honor superborum consistit? Si de Conscientiá bona Adversarii loquantur, fucum faciunt; Hæc enim a nullo invasore lædi potest, sed solum per peccatum deperditur. Sin vero honoris nomine hominum æstimationem intelligunt, hanc contemnere, non tueri Christianus debet; et solum apud illos pondus aliquod habere potest, qui non sequuntur Jesum Christum Crucifixum hominum blasphemiam, et opprobrium; sed Leviathan illum superbiæ ducem, et superborum Patrem.

IX. Inquiunt secundo: Fortunæ bona sunt humanæ vitæ necessaria. Verum hoc quoque Adversarii ludificant. Bona enim temporalia ad vitam servandam absolute necessaria esse illi dumtaxat credunt, quorum Deus venter est, et quorum finis interitus; Filii, scilicet, perditionis. Christiani vero, qui ex Christi mandato sollici-

ti es-

ti esse non debent quid manducent, aut quid bibant, aut quo operiantur, primum quærunt Regnum Dei, et justitiam ejus, temporalia bona ut stercora arbitrantur, et certi sunt Patrem cœlestem, qui pascit volatilia Cœli, et vestit lilia campi, Fidelibus suis nunquam defuturum. Casuistarum igitur doctrina, quæ tanti temporalia bona facit, non Christianorum doctrina est, sed Ethnicorum, qui juxta Christi Domini verbum, *hæc omnia inquirunt*.

X. Dicunt tertio: Si non liceret rapienti resistere, magis latronibus, quam viris honestis Lex Evangelica faveret. Verum respondeo: Dum dicitur rapienti resistendum non esse, de ea resistentia intelligitur, quæ moderamen excedat. Propter temporalia bona hominem occidere excedit modum, prout ex Ecclesiæ doctrina evidentissime demonstravi; hujusmodi igitur resistentia Christianis, privatisque Personis prohibetur. Privatis inquam Personis: Nam Principes, et Magistratus, quibus, ut in elapsis Disquisitionibus explicatum fuit, Deus dedit jus in vitam hominum scelestorum, possunt, et debent facinorosorum hominum licentiam compescere, et pœnis, et capite mulctare. Licet proinde Christianis latrones denunciare, quippe si nemo tales homines accusaret, impune grassarentur; Quod in maximam Reipublicæ perniciem redundaret: Atque ita ruunt omnes Casuistarum cavillationes. Quapropter Manlius non debebat propter boni temporalis amissionem deserere justitiam furem occi-

dendo; sed suum erat jactare in Domino curam suam, et Dominus eum enutrivisset. Nequidem debebat occisione tueri propriæ suæ Uxoris pudicitiam, quamvis sit bonum præstantissimum: ut docet Augustinus *lib. 1. de lib. arbit.* Sed ipsius custodiam in Deo collocare, ac in Uxoris virtute, quam Dominus non patietur tentari super id, quod potest.

Disquisitio Septima.

Ariadnes puella nobilis a Tæseo deflorata, potum ab eodem accepit, ne conciperet; nihilominus gravida evasit. Unde primum gravi mærore confecta mortem sibi sæpe præoptavit. Ac denique futuram infamiam ferre desperans, Tæseum certiorem facit, nisi infra quindecim dies remedium præbeat ad abortum faciendum, ipsam sibimet mortem propriis manibus certissime illaturam.

Quæritur: 1. Utrum veluti homicidæ haberi debeant, qui mulieribus medicamina præbent, ne concipiant? 2. An in dato casu liceat Tæseo abortioni operam dare? 3. Utrum in aliqua circumstantia mortem sibi præoptare fas sit?

RESOLUTIO.

I. HIC Casus nullam præsefert difficultatem; ideo ipsum per summa capita raptim delibabimus. Quæritur igitur primo utrum veluti homicidæ haberi

beri debeant, qui Mulieribus medicamina præbent, ne concipiant? Respondeo juxta canonicas Sanctiones a primis Ecclesiæ sæculis, eos, qui talia agunt, inter homicidas habitos fuisse. Ita statutum legitur in Lege Canonica *Cap. Si aliquis causa de homicidio*. Hujus Canonis usus antiquissimus est, et laudatur ab Augustino *Serm.* 224. *de tempore*: Et a Tertulliano in Apologetico *Cap.* 9. Eumdem Canonem confirmavit, novisque pœnis indictis ampliavit Sixtus V. *Const.* 87. incipiente: *Effrenata*. Et Gregorius XIV. *in Const.* 8. incipiente: *Sedes Apostolica*.

II. Quæritur Secundo; An in exposito casu, liceat Tæseo abortioni operam daræ? Dicimus nequaquam id licere. Et hoc quoque expresse habetur ex anathemate, quod Innoc. XI. jaculatus est in propositionem 34. hisce verbis conceptam: *Licet procurare abortum ante animatum fætum, ne Puella deprehensa gravida occidatur, atque infametur*.

III. Quæritur Tertio: Utrum in aliqua circumstantia mortem sibi præparare fas sit? Dico: Vitæ nostræ nemo Dominus est, nisi solus Deus, ut fuse in elapsis Disquisitionibus declaratum fuit. Hinc absolute sibi mortem præoptare peccatum est, et quædam species rebellionis adversus supremum Dei dominium. Dixi peccatum esse sibi mortem optare absolute, hoc est, non relative ad caussam aliquam rationabilem, et ad voluntatem divinam. Qua de re qui mortem sibi præoptat ex legitima caussa, et supposito Dei beneplacito, non modo non peccat, quinimo actum merito-

ritorium perficit. Ita D. Paulus exclamabat: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo*. Hujus exclamationis motivum fuit Dei amor, quo Paulus flagrabat, et quo ad optandam Dei fruitionem rapiebatur: Unde actus meritorius fuit. Sic etiam nos laudabiliter dicimus mori potius velle, quam peccatum patrare; quod equidem desiderium, cum ex vera charitate profluat, bonum necessario est. Alia quoque ratione optare quis mortem sibi potest absque culpa; nempe, si quis dicat exempli loco: Si Deo placeret, quam libenter nunc morte occumberem. In hoc desiderio quia divinum beneplacitum supponitur, nullum peccatum est. Ex his concludo, quod si Ariadnes sibi mortem concupivit seclusa charitate, et divino beneplacito, peccavit graviter. Secus vero, aut actum meritorium fecit, aut saltem nullam culpam admisit.

IV. Remanet dirimere sophisma illud, quo contra secundi quæsiti solutionem Libertini quidam nostri ævi, et propriam conscientiam palpare, et nos, nostramque doctrinam illudere tentant. Dicunt enim: Fætus inanimatus inspiciendus est veluti una ex partibus viscerum: Atqui amputari potest digitus, brachium, pes ad vitam conservandam; Ergo a fortiori poterit Puella inanimatum fætum expellere, ut proprio consulat honori, qui prætiosior vita naturali est reputandus. At hæc inaudita quem sanæ mentis animum ad indignationem non commovent? Verum quippe est, Fætum inanimatum nondum esse actu hominem; sed se habere ut alter homo in poten-

tia

tia proxima quis inficias ire potest? Hinc quamvis realis vita per abortum non adimatur, proxime tamen, et immediate hominis vita impeditur, quæ citra injuriam juris naturalis, ac divini impediri non potest. Quapropter Tertullianus in *Apolog. Cap.* 3. inquiebat: *Homo est, qui futurus est; nam fructus in semine est*.

Disquisitio Octava.

Seripandus ratam habet Alessii Margaritæ Mariti necem in sui gratiam patratam, quia lubricam amicitiam cum Margarita nutriebat: Nunc quoque in sponsam illam requirit.

Quæritur 1. *An Seripandus propter ratihabitionem graviter deliquerit, et in homicidii pœnas inciderit?* 2. *An Matrimonium cum Margarita valeat inire?*

RESOLUTIO.

I. AD omnes e vestigio æquivocationes tollendas, ut par est, Ratihabitionis notionem in antecessum ponere pernecessarium reor. Ratihabitio quapropter, uti ex utriusque Legis Doctoribus abunde colligitur, Est confirmatio, seu ratificatio alicujus actionis nomine, aut gratia confirmantis, sive ratificantis factæ. Hinc Ratihabitio expresse æquiparatur mandato juxta decimam juris regulam; Ratihabitionem retrotrahi, et mandato

non

non est dubium comparari: Quæ regula expresse desumitur ex *Cap. penultimo de Sententia Excommunicationis in 6. Et ex Lege si fundus 16. §. I. Dig.* Et ex Lege prima §. *dejecisse 12. in Digestis: de vi. Et in aliis juribus.*

II. Ut vero suos sortiatur effectus, quamplures conditiones habeat oportet, quas hic breviter adnectere opus est 1. Ut actio vere ratihabentis nomine sit gesta, uti *ex 9- juris regula* nitide liquet: Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine gestum non est 2. Ut eo tempore, quo actus gestus est potuerit a ratificante mandari; defectu cujus negotium nomine infantis, vel furiosi gestum, ab illis cessante etiam impedimento ratihaberi nequit, quia ab eis tempore, quo gerebatur negotium, mandari non potuit; prout tenet Barbosa hic *num. 2. et 3.*, *et Abbas in Cap. finali* 3. Ut actus ab initio non fuerit invalidus juxta regulam decimam octavam juris *in 6. Non firmatur tractu temporis, quod ab initio de jure non subsistit* 4. Tandem, ut alias, quæ non faciunt ad nostrum propositum, omittam, est quod confirmatio, seu ratificatio actibus exterioribus perficiatur; defectu cujus, si quis gauderet de sui hostis nece, nullum tamen externum signum prodendo, in pœnas non inciderit.

III. Hinc dicimus Seripandum propter ratihabitionem graviter deliquisse: Ille quippe graviter delinquit, qui graviter contra Legem operatur: Atqui gaudens Seripandus de malo Alessii graviter contra Legem operatur: Lex enim naturalis

ralis intime mentibus nostris insculpta: Quod tibi non vis alteri ne feceris, penitus conculcatur; Ergo graviter peccat. Et re quidem vera quid aliud peragit Seripandus Alessii necem approbando, nisi venenosum odii anguem in ejus animo latentem in operibus prodere? Odium quandoquidem proximi, juxta unanimem Theologorum sententiam, est expressa malevolentia, qua illi malum optamus; hinc odio afficere proximum grave piaculum esse, ac quoddam homicidii genus suadet nobis Joannes *Ep.* 1. *cap.* 3. dicens. *Omnis, qui odit Fratrem suum homicida est*. Seripandus igitur jam homicida erat propter odium; Nunc Alessii mortem ratam habendo homicida evasit in opere.

IV. Ex his ergo extra dubitationis aleam deducendum est quoque ipsum in homicidii pœnas incidisse. Et sane jura omnia ita definiunt. Hinc brevitatis gratia contenti sumus id solum, quod ex *Cap. Juris. Cum quis de sententia excommunicationis in 6.* habetur, animadvertere: *Cum quis absque tuo mandato manus injecit in Clericum tuo nomine violentas, si hoc ratum habueris, Excommunicationem latam a Canone incunctanter incurris, cum ratihabitio retrotrahatur, et mandato debeat comparari*. Unde P. Reinffestuel *Cap.* 2. *de Regulis in 6. n.* 8. inquit: *Quandocumque aliquid ab alio nomine nostro gestum, postea ratificamus, et approbamus, idem est, et eosdem habet effectus juris, ac si a nobis ei prius expresse fuisset mandatum, seu verum ad id dedissemus mandatum*.

Qua-

Quapropter tale fas sit efformare argumentum. Homicidium mandans in homicidii pœnas incunctanter incurrit. Ita *l. Nihil interest Digest. ad Legem Cornelii de Sicariis*, ubi expressé legitur: *Mandator cædis pro homicida habetur. Et Can. Si quis Viduam dist.* 50. *Nam qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum. Ut ex Cap. Qui facit* 72. *de Regul. Juris in* 6. *habetur*. Atqui ex Regula decima juris Ratihabitio mandato comparatur; ergo Seripandus ratam habendo Alessii necem tanquam homicidii mandans est reputandus; ergo Seripandum homicidii pænas effugere non posse constituendum omnino est.

V. Verum vero quamvis læthalis culpæ reus effectus sit, nec homicidii pœnas valeat effugere; dicimus tamen impedimentum criminis cum Margarita ex præfata Ratihabitione minime insurgere. Quod sic ostendimus. Ad incurrendum criminis impedimentum mortis machinatio, aut conspiratio necessario requiritur, ut colligitur ex *Cap. Si quis viventi* 31. *quæst.* 2. *Et ex Cap. laudabilem de convers. infidelium*, et alibi. Atqui per ratihabitionem nec machinatio, nec in mortem conspiratio habetur; ergo per ratihabitionem criminis impedimentum non insurgit. Ratihabitio quippe nullam occasionem, nullumve motivum occisioni præbere valet, cum ipsa suo assensu, et plausu post jam patratum homicidium profluat; et ideo nullo jure Ratihabitionem matrimonii impedimentum inferre unquam sancitum fuisse legimus.

IN SEXTUM ET DECIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

Disquisitio Prima.

Hermes verba Non mæchaberis, *quibus Sextum Præceptum exprimitur, prout sonant intellexit semper; hinc nihil aliud, nisi adulterium vetitum arbitratus, cæteras luxuriæ fœditates, quibus aliquando indulsit, nunquam confessus est.*

Quæritur 1. Genuinus hujus Præcepti sensus? 2. An ignorantia invincibilis ea dici possit?

RESOLUTIO.

I. CUm lex quælibet, ut justa sit, necessario expostulet, ut naturæ juribus non modo non adversetur, verum quoque ut cum iis arctissimo fœdere ita connectatur, ut ea abrumpi nequeat, quin natura tota subvertatur; hinc merito Sexti, et Decimi Præcepti pertractationem incæpturi, exordium hac in Disquisitione ab iis Quæstionibus auspicamur, in quibus revelandi, explicandique sunt fontes, unde hoc Præceptum suapte natura derivatur.

II. Mens humana, et corpus, ex quibus homo coalescit, tam stupenda unione inter sese vinciuntur, ut quibusdam cogitationibus in mente excitatis, necessario in corpore quoque exoriantur motus consentanei validiores, vel debiliores, prout

prout cogitationes magis, vel minus validæ sunt. Inter vehementiores corporis motus principem locum tenent motiones, quæ ex venerea concupiscentia enascuntur. Quippe si vel leviter venerea cogitatio in mente perduret, illico subtiliores sanguinis partes æstuant, laxatisque undequaque habenis ad vasa illa propelluntur, quæ a natura mirabili artificio ad generationem perficiendam disposita fuerunt. Hæc apud Physicos inconcussa sunt, et propria cujuslibet experientia plusquam satis confirmata.

III. Ex hac doctrina hæc Propositio necessario consequitur, scilicet: qui cogitationem veneream vult, vult quoque omnes corporis motiones ad generationem perficiendam. Res evidens est. Qui enim caussam vult, vult quoque effectus omnes ex eadem caussa necessariò manantes. Atqui venerea cogitatio est caussa, ex qua necessariò manant motiones illæ, quæ generationem constituunt; ergo qui veneream vult cogitationem, vult quoque motiones ad generationem constituendam.

IV. Neque quis dicat sæpe fieri, ut ex pravis cogitationibus nulla aliquando externa saltem corporis motio excitetur. Hoc enim per accidens dumtaxat evenit. Quæ autem per accidens fiunt, non excusant a culpa. Exemplo tota res illustratur. Venenum habeo suapte natura mortiferum. Illud propino decem hominibus, quorum nemo necatus est. Sciscitor, nonne decem homicidiorum reus sum, perinde ac si omnes mortui essent?

sent? Ita sane: caussam enim posui suapte natura idoneam ad omnes illos interimendos, quique si interfecti non sunt, hoc per accidens factum est. Ita quoque ad rem nostram: Libidinosa cogitatio suapte natura apta est ad venereas corporis motiones excitandas, et inde generationem perficiendam; ergo qui voluntarie cogitationem libidinosam ponit, vult quoque motiones illas, quamvis per accidens non subsequantur.

V. Nunc pergamus: Hominis generatio extra nuptias naturæ ordini gravissime adversatur. Etenim, ut in Quarti Decalogi Præcepti enucleatione demonstratum fuit, naturæ lex est, ut Pater, et Mater mutuis auxiliis incumbant ad optimam filiorum educationem. Atqui si filii generantur extra nuptias, mutuis auxiliis nequeunt Parentes incumbere ad optimam filiorum educationem; ergo naturæ lex est, ut filii extra nuptias non generentur. Filiorum itaque generatio extra nuptias habita principaliori naturæ legi vehementissimè adversatur.

VI. Hisce præmissis hæc argumenta sua sponte fluunt. Primo: Graviter peccat adversus naturæ legem, qui generationem ponit extra nuptias, seu Matrimonium. Atqui non modo adulterium, incæstus, fornicatio, aliæque nefandæ copulæ, verum quoque simplex pollutio actiones sunt, quæ extra Matrimonium ponunt totum id, quod ad generationem spectat; ergo non modo adulterium, incæstus, fornicatio, aliæque Veneris copulæ, verum quoque simplex pollutio grave

ve peccatum est adversus principaliorem naturæ legem. Secundo: Qui cogitationem veneream vult, aliquo modo vult quoque prolis generationem ex supra demonstratis: sed qui generationem vult extra Matrimonii usum graviter peccat adversus naturæ legem; ergo qui extra Matrimonii usum cogitationem veneream vult, peccat graviter adversus naturæ legem.

VII. Hæc, quæ ex naturalium rerum contemplatione Philosophi Ethici per longas ratiocinationum ambages demonstrant, paucis, facilibusque vocibus revelatio docuit, confirmavitque. *Non mœchaberis Exodi* 20. præcepit Dominus Deus in Sina Populum suum adloquens. *Et Mathæi Cap.* 5. Dominus Noster Jesus Christus legis medullam patefaciens dixit: *Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Ex hac Dei docentis authoritate constans, et uniformis Sanctorum Patrum traditio exorta est, qua inter lœthalia peccata semper habita fuerunt quæcumque veneris opera; sive sola mente interius voluntarie excitata, sive corde concupita, sive exterius consumata. Hoc moralis disciplinæ Dogma Ecclesia semper venerata est, et eos omnes, qui contrarium aut docere, aut sentire ausi sunt, anathemate iterum et tertio multavit, ut manifeste patet ex damnatione Propositionum ad hanc materiam spectantium, quas recensere consulto prætermitto, ne noctuas Athenas, aut ligna in lucum deferre videar. Ex his tamen, quæ hacte-

nus per summa capita delibavi expositarum quæstionum solutio nitidissimè consequitur.

VIII. Quæritur igitur primo Genuinus Sexti Præcepti sensus. Dico: in hoc mandato non modo adulterium, verum quoque quemlibet alium inhonestum concubitum extra Matrimonii usum patratum, nec non interiores quascumque concupiscentiæ motiones prohiberi. Hoc patet ex superiore Christi Domini explicatione.

IX. Quæritur secundo, utrum ignorantia Hermetis, qui nunquam scivit cæteras luxuriæ fœditates vetitas esse, invincibilis dici queat? Respondeo negative: quippe ignorantia invincibilis dari nequit iisdem rebus, quas quis addiscere potest, et debet: atqui quilibet homo rationis compos addiscere potest, et debet Præcepta Decalogi, eorumque significationem; Nihil enim in Scripturis sanctis magis inculcatum reperitur, quam ut ab unoquoque lex, ipsiusque Præcepta sigillatim addiscantur, scrutentur, investigentur. Deuteron. quapropter *Cap.* 6. legitur: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: Narrabis Filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo, et ambulans in itinere*. Et D. Paulus *Ephes. Cap.* 4. *Nolite*, inquiebat, *fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei*; Ergo circa Decalogi Præcepta, eorumque sensum ignorantia invincibilis in hominibus ratione præditis dari nequit. Sed Hermes, ut supponitur, rationis usu pollet; ejus igitur ignorantia invincibilis dici non potest.

Disqui-

Disquisitio Secunda.

Phyrrhus aspectus impudicos, et libidinosos, nec non tactus venereos ex levitate materiæ venialia tantum esse peccata pertinaciter contendit.

Quæritur 1. Cur in hac materia levitas non detur? Vtrum Pyrrhi pertinacia hæretica dicenda sit?

RESOLUTIO.

I. HArum Quæstionum Prima, scilicet, cur in luxuriæ vitio levitas materiæ non detur, ob unam Ethicæ inscitiam, ni mea me fallat opinio, nonnullos Moralistas vehementissime sane torquet. At ipsorum pace ex superioribus principiis Disquis. I. n. 3. 4. &c. facillime solvitur. Equidem in luxuriæ vitio quilibet actus cum cæteris, quæ generationem prolis constituunt, naturaliter copulatus est: generatio prolis gravis est materia, ac proinde quilibet libidinis actus materiam gravem importat. Sane ut in limine primæ Disquisitionis demonstravi, ex luxuriosa cogitatione naturaliter consequuntur illæ omnes corporis motiones, quæ generationem constituunt; et ideo qui luxuriosam cogitationem vult, vult quoque motiones illas, et prolis generationem. Sed prolis generationem quocumque modo velle extra Matrimonii usum gravis est culpa; Igitur luxuriosam cogitationem velle extra Matrimonii usum gravis est culpa. Nexus itaque, quo quilibet luxuriæ actus naturaliter

liter cum generatione copulatur, ratio est, ob quam quilibet luxuriæ actus gravem materiam præsefert.

II. Ad Secundum, quod quæritur utrum pertinacia Pyrri contendentis aspectus impudicos, et tactus venereos esse venialia peccata ob levitatem materiæ dicenda sit hæretica; respondeo: Pertinaciam hanc manifesto hæreticam esse. Etenim ea doctrina hæretica est, quæ aut aperto Scripturarum testimonio, aut Sanctorum Patrum Traditioni, aut Ecclesiæ Dogmati adversatur. Sed asserere aspectus impudicos, et tactus venereos esse venialia peccata adversatur Scripturarum testimonio, cum Christus dixerit: Eum qui aspexerit Mulierem ad concupiscendum eam jam mæchatum fuisse in corde suo; adversatur Sanctorum Patrum Traditioni, quia omnes inter peccata læthalia recensent quælibet Veneris opera; adversatur denique Ecclesiæ Dogmati, ut patet ex Clementina. *In nostram tit. de hæreticis*, contra Begnardos, et Beguinas sancita; ergo pertinacia Pyrrhi hæretica dicenda est. Hinc S. Antoninus Part.II.p. 196.inquit: *Sextus gradus luxuriæ est libidinosa contrectatio, quæ, scilicet fit per oscula, amplexus, contactus manuum, vel aliarum partium corporis. Hanc Apostolus nominat turpitudinem, cum ait ad Ephes. cap. 5. Omnis fornicatio, aut immunditia, aut turpitudo non nominetur in vobis. Vbi Glos. Turpitudo, ut in osculis, amplexibus ec., omnia talia sunt peccata mortalia, quoniam fiunt ex libidine extra Matrimonium. Vnde Apostolus ibi subdit: Omnis forni-*

fornicator, aut immundus non habebit hæreditatem in Regno Christi, et Dei ... Intantum autem sunt peccata amplexus, oscula, tactus, et stultiloquia, in quantum procedunt ex luxuria, quæ in fornicatione, et immunditia notantur. Ubi S. Thomas 2. 2. dicit: Quod aliquid potest esse peccatum mortale dupliciter: Uno modo secundum speciem suam, et hoc modo osculum, amplexus, vel tactus secundum suam rationem non nominant peccatum mortale; possunt enim fieri absque libidine, vel propter consuetudinem Patriæ, vel propter aliquam necessitatem, vel ob aliquam rationabilem caussam ... Alio modo dicitur aliquid esse peccatum mortale ex causa sua, sicut ille, qui dat eleemosinam, ut inducat aliquem in hæresim mortaliter peccat propter intentionem corruptam. Dictum autem est, scilicet, quod non solum consensus in actum, sed etiam consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale. Et ideo cum fornicatio sit peccatum mortale, et multo magis aliæ species, consequens est, ut consensus in delectationem talium peccatorum est mortale. Et ideo cum oscula, amplexus, et tactus fiant propter hujusmodi delectationem extra Matrimonium habendam, sunt mortalia, quia sic sunt libidinosa. Et qui permisit hæc sibi fieri ab eo, quem æstimat ad hoc moveri amore libidinoso, mortaliter peccat, quia facientem, et consentientem par pœna astringit: Secundum Thomam, qui dicit, quod propterea Apostolus postquam reprehendit hujusmodi vitia, scilicet turpitudinem, ut in tactibus, et osculis, stultiloquium, et scurrilitatem

rilitatem, connumerans ea inter peccata mortalia manifesta, quia et ipsa talia sunt, cum procedunt ex libidine, subdit; nemo vos seducat inanibus verbis, propter hoc enim venit ira Dei; quod dixit propter quosdam, qui tunc forte parvipendebant hujusmodi vitia. Probat hoc idem per auctoritatem Christi: Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam &c. Ubi dicit Beda quod visus accipitur ibi pro omni motu ad delectationem veneream, scilicet extra Matrimonium. Et concludit ipse, quod ista esse mortalia tenendum est omnino, non tanquam opinio, de qua aliter sentiri liceat, sed tanquam veritas ad fidem pertinens, sicut omnia, quæ pertinent ad bonos mores; et qui pertinaciter assereret contrarium, esset hæreticus, quia est contra Scripturam a Sanctis expositam.

Disquisitio Tertia.

Ausonius vir nobilis pinacothecam habet impudicis Simulacris tum depictis, tum insculptis exornatam. Monitus a Confessario, ut ea aut deleat, aut novis coloribus, et operimentis ita superinduat, ut eorumdem inhonestas pœnitus obliteretur, respondet, eadem esse celeberrimorum Hominum Opera, quæ proinde absque gravi detrimento nec lædi, nec permutari queunt.

Quæritur. Quid Confessario agendum?

RESO-

RESOLUTIO.

I. A*Scendit Mors per fenestras*, cecinit Jeremias *Cap.* 9. Idque de oculis nostris intelligendum esse *Threnorum Cap.* 3. explicavit, dum ingemiscens dixit: *Oculus meus deprædatus est animam meam*. Merito equidem. Etenim sicut humanum corpus necessaria propensione cibos, quibus ad vitam servandam indiget, vehementissime appetit; ita quoque humanus Spiritus ad externarum rerum ideas, et imagines recipiendas, quibus spiritualis ejus vita substinetur, incessanter impellitur. At cum corporeis parfetibus, veluti angustissimo carcere sit undequaque septus, atque occlusus, fenestrarum vehiculo, hoc est, sensuum ope necessario indiget ad hjusmodi Imagines sibi comparandas. Hinc sicuti corpus moritur, si venenati cibi in ejus stomachum deglutiantur; ita quoque humanus spiritus spirituali nece occumbit, si venenatas imagines in ipsius mentem fenestræ deportent. In sensuum numero principem locum tenent oculi, utpote qui vividioribus impressionibus objecta depingant, et Animæ attentionem sibi totam rapiant. Hinc oculorum cura præ cæteris in Scripturis, Sanctisque Patribus commendata. Sane effrænis oculis nihil periculosius. At enim incredibili celeritate sibi ebibunt, atque in mentem trajiciunt omnes Objectorum visibilium venustates, quæ cum maxima ex parte peccati veneno infectæ sint, sunt veluti læthales cibi, quibus

quibus animæ vita obtruncatur. Quapropter cum de Sexto mandato simus in præsentiarum disputaturi, primo loco ea observanda proponimus, quæ ex oculis ad castitatis prorsus extermicium proficiscuntur.

II. Depictæ Tabulæ, et insculpta Simulacra, præsertim si celebris Artificis opera sint, validiorem plerumque in oculis nostris impressionem cudunt, et vividiorem in mente imaginem excitant, quam objecta ipsa realia in iis Tabulis, aut Simulacris repræsentata. Res equidem perspicua est. Primo enim in depictis, aut insculptis imaginibus Artifices summo studio exprimere conantur id solum, quod visu pulchrum est, et delectabile, quod autem deforme, aut displicens esse possit, solertissime obtegunt. Hinc visu pulchriores semper sunt imagines, quam objecta ipsa. Ita Apelles græcorum Pictorum facile Princeps Veneris Simulacrum in superbo Gnidi Templo collocandum delineaturus, centum Puellas ex tota Græcia selectas in exemplar assumpsit, singulasque earumdem pulchritudines in unam conflavit. Unde fœda illa Veneris imago intuentium oculos tanta vi rapiebat, quanta centum simul Puellæ ex tota Græcia venustiores traxissent. Secundo: Imagines aut insculptæ, aut depictæ permanentes sunt, et eamdem numero impressionem infinities excitare, et renovare queunt. Objecta autem realia ex mutatione situs, loci, et partium fere nunquam eodem modo oculos afficiunt. Quantum vero sensus, et anima ex repetitione impres-

pres-

pressionis, quæ semper sit eadem fortiter devinciatur, Philosophi sciunt. Hinc jure Ethici stabiliunt impressiones, quæ ab inhonestis præsertim Simulacris efficiuntur plerumque periculosiores esse illis, quæ ab objectis realibus excitantur.

III. Hæc doctrina, quæ millenis exemplis ex historia sacra, et prophana confirmari posset, ex una Veteris Legis œconomia corroboratur. Priscis Judæis, ut nos omnes scimus, nunquam prohibitum, fuit quominus aut flores, aut arbores, aut animalia quæcumque ipsis placerent ad necessitatem, aut ad oblectamentum adhiberent. Ex adverso horum omnium imagines sexcenties vetitas in Deuteronomio legimus. Hic sane non levis apud Expositores difficultas exoritur, Scilicet: Cur Deus res omnes Hebræorum usibus concesserit, earum autem Imagines omnino prohibuerit? Inquiunt: populus ille duræ cervicis in falsum Idolorum cultum pronus facile ex rerum imaginibus, et Simulacris idololatrandi occasionem desumpsisset, ideo Deus Simulacra omnia, et Imagines vetavit. At ego inquio: An hanc idololatrandi occasionem Hebræi desumere poterant ex solis rerum Simulacris, an etiam ex rebus ipsis? Equidem prima fronte videtur, gravius idololatrandi periculum Hebræis imminere ex realium rerum usu, quam ex sola earumdem imagine. At quia Deus, qui Orbem Terræ judicat in veritate sua, optime scit in mentem Hominum majorem vim exercéri a rerum Simulacris, quam ab ipsis rebus; ideo Hebræis res omnes concessit, earum vero

vero imagines omnino vetavit. Hæc, quæ non modo accuratiorum Philosophorum, verum quoque sanctorum Patrum doctrina est, evidentissimè confirmat imaginum, aut tabulis depictarum, aut lapidibus insculptarum impressiones plerumque validiores esse in nostris oculis, quam illæ, quæ ab objectis ipsis excitarentur.

IV. Hisce præmissis ita solvitur Quæstio: Objecta retinere, quæ vividissimas impudicitiæ impressiones suapte natura excitant in intuentium oculis, læthale est: Atqui impudica Simulacra, et Imagines hujusmodi impressiones maximo cum periculo excitant; Ergo easdem retinere læthale est.

V. Conclusionem hanc paritate confirmo. Libros de obscænis tractantes retinere læthale peccatum est, et censuris quoque obnoxium, sed obscænæ imagines ex supra demonstratis vividiores impressiones excitant, quam Libri ipsi: Ergo à fortiori hujusmodi imagines retinere læthale peccatum est.

VI. Neque Ausonius dicat suarum imaginum, et simulacrorum obscænitatem novis coloribus, aut operimentis nec superindui, nec deleri posse ob detrimentum, quod necessario in eadem redundaret. Primo namque temporalium rerum omnium jacturam sexcenties ferre debemus potius, quam Animam nostram, aut proximorum in æternæ mortis discrimen adducamus, dicente Christo Domino *Math. Cap.* 17. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum*

patia-

patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro Anima sua? Secundo: Libros de obscænis pertractantes retinere sub anathematis pæna prohibetur, atque proinde grave est peccatum. Hujusmodi proinde libros, aut statim comburere, aut Superioribus quilibet Christianus sub eadem pæna tradere tenetur. Neque ab hoc onere immunes fiunt ex eo quod Libri aut editione, aut Auctoris nomine pretiosi sint. Igitur eodem jure depictæ, aut insculptæ imagines, si obscænæ sint, aut delendæ omninò sunt, aut ad honestatem reconcinnandæ, quamvis ex hoc earumdem pretiositas notabiliter imminuatur.

VII. Confessarius itaque jubeat omnino, ut Ausonius Simulacrorum obscænitatem omnino exterminet, et ad modestiæ regulas accomodet; eumque id facere renuentem inabsolutum dimittat. Hæc decisio Sanctorum Patrum Decretis tota conformis est, præsertim Joannis Chrisostomi in *Psalmum* 113. Augustini *lib.* 1. *Confessionum*, Apollinarii Sydonii *lib.* 2. et Clementis Alexandrini in admonitione ad Gentes; necnon Conciliorum Sanctionibus præcipue Mediolanensis *III. et V.* Trullani, Bisuntini, et Bituricensis.

Disquisitio Quarta.

Crispus sæpe sæpius Fœminam sibi familiaritate conjunctam visere solet; eamque cum voluptate adloquitur, tangit, amplexatur, nec non etiam aliquando deosculatur; non tamen veneris, sed urbanitatis, et amicitiæ grati æ

Quæ-

Quæritur: Quid dicendum de hac consuetudine, adloquutione, tactibus, amplexibus, et osculis?

RESOLUTIO.

I. PEriculis in supraposita Disquisitione observatis, quæ ex obscænorum Objectorum in oculos nostros appulsu imminent, gradum facimus ad ea perpendenda, quæ reliquos sensus spectant. Quapropter Crispi consuetudinem, qua Fæminam sibi familiariter conjunctam cum voluptate visere, adloqui, tangere et amplexari, necnon aliquando deosculari solet, veluti magnam peccatorum læthalium catervam considerare debemus. Ratio evidens præsto est. Ut aspectus, tactus, amplexus, oscula moralem copulæ malitiam participent, hoc unum requiritur, scilicet ut ad copulam ordinentur, juxta enim Canonicum adagium *C. l. Cum Magister 23. Omne opus, cujus finis est malus, ipsum quoque malum est*. Atqui hujusmodi tactus, aspectus, amplexus, et oscula suapte natura ad copulam ordinantur; Ergo totidem peccata læthalia sunt. Et sane tactus, oscula, amplexus, et similia multo viciniora sunt copulæ, quam simplex morosa delectatio: Atqui morosa delectatio ex præcedentibus Disquisitionibus læthale peccatum est; Ergo a fortiori tactus, oscula, amplexus, et similia læthalia peccata sunt.

II. At inquit Crispus, Fœminam illam tango, amplexor, deosculor, non libidinis, sed unius urba-

urbanitatis, et amicitiæ gratia. Quis autem nescit tactus hujusmodi si ex urbanitate, et amicitia solum proficiscantur, nullimode peccata dici posse? Lepida equidem excusatio, qua carnales sæculi homines deludificant, atque deludificantur. Fateor equidem si speculative res pensitetur, oscula, amplexus actiones esse, quæ absque ulla libidinis motione ex una amicitia, aut urbanitate proficisci queunt. At in praxi id evenire nego. Primo namque sciscitor cur hisce familiaritatis, et amicitiœ signis, nonnisi cum Fœminis, quæ neque senes certe sunt, neque aspectu invenustæ Crispus utatur? Non est itaque illarum actionum caussa amicitia, et urbanitas, sed potius florida fœminæ ætas, et venustas; atque proinde Venus. Secundo: Quamvis detur actiones illas peccata læthalia non esse suapte natura, inficiari tamen nequit Crispus easdem totidem esse peccatorum læthalium pericula tum respectu ipsius Crispi, tum respectu fœminæ, qua ipse tam familiariter utitur. At ex Spiritus Sancti Oraculo dicentis: *Qui amat periculum peribit in illo*, decretum est, peccare læthaliter eum, qui voluntarie in læthalis peccati periculum se, aut alios adducit; igitur ex qualibet parte Crispi consuetudo a peccati gravis malitia excusari nequit.

Theodorus juvenis impuris phantasmatibus sæpissime colaphizatur, quibus, an assentiatur, an reluctetur, dubitat.

Quæritur 1. Unde judicium efformandum de eorum consensu, et delectatione? 2. Quæ remedia adhibenda sint, ut tanto periculo occurratur?

RESOLUTIO.

I. EX iis, quæ ad castitatem labefactandam ex neglecta exteriorum sensuum custodia proficiscuntur, ad illa perpendenda progredimur, quæ interius, hoc est, in secreto mentis cubiculo simulacra solent excitari. Hic est acerrimus ille Angelus Sathanæ, a quo Paulus ipse vehementissime colaphizabatur, cujusque aggressiones nulla arte penitus declinandæ tum frequentia, tum validitate sunt ceteris omnibus terribiliores. Harum naturam breviter in hac Disquisitione patefaciemus.

II. Quælibet actio, ut fuse de actibus humanis Theologi demonstrant non modo respectu sui, verum quoque respectu suæ causæ peccatum esse potest. Hinc qui voluntarie caussam ponit, ex qua peccatum profluit, peccat, quamvis deinceps in peccandi conflictu peccatum totis viribus exhorrescat. Ratio evidens est. Qui enim vult caussam, vult quoque effectus omnes ex eadem caus-

sa

sa suapte natura dimanantes. Hæc est enim teterrima peccatorum omnium genesis. Rem ad præsens negotium accomodemus:

III. Fædæ Cogitationes ex triplici caussa proficiscuntur. Prima est Concupiscentia, quam peccatum & peccati legem in nostris membris sæviter dominantem appellat Apostolus ad Rom. Cap. 7. v. 13. dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*. Secunda est dæmonis rabies, qui incessanter circuit quærens quem devoret, ut testatur D. Petrus. *Ep.* 1. *C.* 5. Tertia est neglecta sensuum custodia. Prima, et Secunda, scilicet carnis concupiscentia, et dæmonis incursio ab humano arbitrio, et voluntate non pendent, nempe, nemo hominum potest aut concupiscentia sese penitus exuere, aut prohibere, ne dæmones ipsum aggrediantur; proinde neutra voluntaria est; et malæ cogitationes, quæ ex iisdem derivantur in sua caussa volita nunquam sunt. Sensus vero externos vigili, atque arcta custodia tueri quilibet potest, ac debet, atque proinde qui hanc custodiam voluntarie negligit latissimam fædis phantasmatibus januam reserat; et malæ cogitationes subindæ exortæ, veluti in caussa volitæ imputantur.

IV. En itaque primam regulam, videlicet: Debitam sensuum custodiam negligenti imputandæ sunt cogitationes malæ inde manantes sub gravi, vel levi culpa, prout magis, vel minus eam custodiam neglexerit.

V. Observemus nunc cogitationes ipsas extra

suam

suam caussam, seu prout in mente existunt. Venerea simulacra semel in mente excitata, statim quoque ad eadem percipienda mens cogitur. Hic primus mentis intuitus necessarius est, oriturque necessario ex mutuo mentis, et corporis commercio. Igitur peccatum non est. Rursus mens in eo instanti non modo ejusdem Objecti perceptione, verum quoque delectatione quadam afficitur, quæ, in primo illo temporis momento non a voluntate profluit, sed ab appetitu inferiori, qui sentiens imaginem sibimetipsi conformem cogitur eam conformitatem, seu delectationem experiri. Hinc quoque ea delectatio peccatum non est. In primo enim instanti Animæ, corporisque motiones omnes necessariæ sunt, et mechanicæ, atque ideo a voluntatis arbitrio independentes. In secundo autem instanti tripliciter res evenire solet, scilicet; Intellectus delectationem illam ad voluntatem defert: Hæc vel delectationem adprobat; et illico peccatum amplectitur, vel eadem abhorrens omnes suas vires intendit ad eam refellendam; et hinc actus meritorius prodit; Vel denique otiosa manens in neutram partem inclinatur; Et hinc negligentiæ culpa patratur periculi plena.

VI. Hinc altera Regula prodit; videlicet: Delectatio sensibilis, quam quis ex fæda cogitatione experitur, peccatum non est, nisi voluntas delectationem illam amplectatur. Delectatio, cui Voluntas adhæret morosa a Theologis appellatur.

VII. Ex hisce duabus Regulis prima Quæstio facile dirimitur, nempe interrogetur Theodorus de

de suarum cogitationum caussa, tum de Voluntatis ipsius consensu; De cogitationum caussa examinetur quænam sit suorum sensuum custodia. Si hæc rigida sit, judicium pene certum efformari potest nunquam ipsum in delectationem consensisse. Sin autem hæc custodia ab eodem parvipendatur, jam in limine peccatum est grave, vel leve, prout nempe objecta, quibus sensus relaxat, magis, vel minus fuerint periculosa. Quantum vero ad Voluntatis consensum spectat, sedulo rimentur omnes voluntatis motiones, quæ in concursu turpium phantasmatum in Theodoro excitantur, scilicet, inquiratur an ejus voluntas eam delectationem amplexata fuerit, an otiosa manserit, an denique fortiter decertaverit usque ad hostis exterminium. Et ex his juxta superiorem regulam determinabitur facillime, utrum ipse peccaverit, nec ne.

VIII. Remedia denique, quæ periculum omne removere possunt ex iisdem Regulis copiose suppeditantur. Primum si turpes cogitationes ex externis sensibus enascuntur, rigidissima custodia sensuum præcipienda est. Sin autem aut a naturali carnis concupiscentia, aut a demone excitentur, Orationes, jejunia, et corporis afflictationes, quibus D. Paulus in servitutem corpus suum redigebat, Theodoro præscribantur. Secundum: Ad voluntatem firmandam præcipiatur sedulus mentalis orationis usus, præcipuè in iis, quæ hominis novissima spectant, docente Spiritu Sancto: *Memorare novissima tua, & in æternum non*

non peccabis. Omnia remedia ista Oraculo illo Habac. *Cap.* 1. comprahenduntur, ubi legitur: *Super custodiam meam stabo, & figam gradum meum super munitionem, & contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me*. Ita agat Theodorus noster, ut cogitationes a corde suo valeat auferre.

Disquisitio Sexta.

Ephigenia Virgo Voto Castitatis obstricta, sese amplexari a Iuvene quodam mente volutavit. Verum advertens cogitationem hanc peccatum esse, præoptavit se voto solutam, & Juvenem in Virum sibi copulatum, & sub hac hypothesi, & conditione eos amplexus concupivit.

Quæritur: An hujusmodi desiderium peccatum sit?

RESOLUTIO.

1. CAsus iste discutiendum proponit desiderium conditionatum de amplexibus venereis. Equidem hic Casus sæculo decimoquinto lites acerrimas excitare cæpit inter Theologos, qui, prout in cæteris Controversiis evenire solet, propriam sententiam nimium peramantes, non veritatem insectati sunt, sed propriæ opinionis defensionem, unde non aliud fecerunt, nisi tenebris tenebras agglomerare. Nos ob temporis brevitatem Opinio-

num

num analysim prætermittentes mediam ingredimur viam. Quare duas conditionum species observandas proponam, ex quarum discrimine facillimé deinceps Casus Solutio derivabitur.

II. Prima conditionis species illa est, quæ excludit omnem malitiam tum ex parte Objecti, tum ex parte cujuscumque habitudinis ad quamlibet virtutem. Ita exempli loco esset, si dicerem: Libenter carnem comederem, nisi quadragesimæ Jejunium prohiberet. Conditio hæc, nempe, si Jejunium quadragesimæ non prohiberet, meum illud desiderium omni malitia expoliat. Spoliat, inquam, omni malitia ex parte Objecti; quia carnes comedere suapte natura malum non est, sed malum dumtaxat, quia hoc tempore ab Ecclesia vetitum. Ergo in hypothesi, in qua hoc vetitum non foret, malum nullatenus esset. Spoliat denique quacumque malitia ex parte habitudinis ad quamlibet virtutem, quia sublata per conditionem appositam Ecclesiæ prohibitione, Carnium commestio nulli virtuti adversatur.

III. Altera Conditionis species illa est, quæ ab Objecto malitiam omnem depellit; ast ex habitudine ad aliquod vitium malitiam ponit adversus aliquam virtutem. Ita esset, si quis diceret: Occiderem Petrum, si peccatum non esset. Per appositam equidem conditionem ab Objecto, scilicet ab homicidio omnem malitiam auferret; attamen graviter charitatem pollueret, quæ cæteros homines sicut nosmetipsos diligere imperat. Et sane, qui serio assereret sese libentissimé Petrum occi-

occisurum, si hoc peccatum non foret, nonne manifestè patefacit sese quacumque dilectione erga Petrum carere, et eumdem odio maximo prosequi? Conditio itaque hoc in casu, quamvis ab Objecto malitiam omnem tollat, attamen quia desiderium illud oppositionem includit adversus charitatem, læthale peccatum est.

IV. Ad hujus doctrinæ normam Ephigeniæ desiderium examinemus. Ipsa præoptat sese voto solutam, et adolescentulo matrimonio copulatam, et in hac hypothesi, et conditione sese ab eodem amplexari concupivit. Conditio illa, scilicet, Voti solutio, et Matrimonium ab amplexibus, videlicet ab objecto malitiam omnem dejiciunt, cum perspicuum erit, nullo existente impedimento similes amplexus in usu matrimonii licitos esse. Ast quoque perspicuum est Castitatis virtutem prorsus labefactari: Quippe impossibile est omnino vivido phantasmate tales amplexus consulto imaginari, iisdemque delectari, quin motiones excitentur veneri consentaneæ. Ut enim disquisitione prima demonstratum est, humanæ mentis ideis necessario respondent in corpore motiones uniformes, et harmonice respondentes, ac proinde ex turpibus mentis imaginationibus, turpes quoque aut exterius, aut interius corporis motiones exoriantur necesse est, quod extra realem matrimonii usum peccatum læthale est adversus Castitatem. Igitur quamvis Ephigeniæ desiderium ob conditionem oppositam nullam malitiam includat ex parte objecti, attamen læthale est, quia gravem

vem semper adversus castitatem malitiam præsefert.

V. Addo, desiderium quoque ejusdem de solutione Voti, et de Matrimonio ineundo malum esse saltem ex fine. Quippe in exposito Casu Ephigeniæ finis est unus veneris usus. Finis autem hic nequit primario intendi, neque a solutione voti, prout de primo Præcepto disputantes demonstravimus, neque a matrimonio, quomodo suo loco nitidissime ostendemus.

Disquisitio Septima.

Eulus semel delectatus est, secluso quolibet desiderio de copula cum muliere nupta

Quæritur: An delectatio malitiam adulterii præseferat?

RESOLUTIO.

I. TUrpium Cogitationum in elapsis Disquisitionibus genesi, ac natura nitide explicata, optima rerum methodus expostulat, ut ad ea gradum faciamus, quæ veluti extrinseca haberi queunt; quæ videlicet ultra genericam lasciviæ malitiam, aliam diversi generis ex adjunctis circumstantiis superaddunt. Rem in præsentiarum discutiemus; quapropter aliqua notatu digna de objecto delectationis, atque duratione brevissime observabimus.

II. Casus igitur iste inquirit, utrum delectatio

tio simplex, quæ scilicet consensum quemlibet excludat, genericam dumtaxat luxuriæ malitiam præseferat; an vero etiam ex objecti qualitate moralem pravitatem desumat, quæ sit ejusdem speciei, ac objectum illud, si vere, efficaciterque concupisceretur. Quæstio hæc facillime solvitur, si ad ea principia attendamus, quæ in prima hujus Præcepti disquisitione præmissa, atque nerviter demonstrata fuere, et ad quæ omnia ad Sextum mandatum pertinentia revocatum iri promisimus.

III. Primo itaque ex receptis Legibus de mutuo mentis, Corporisque commercio ostendimus, quod ex quacumque venerea cogitatione necessario quoque in corpore venereo motiones enascuntur, quæ si illico non coerceantur, statim spiritus generationi inservientes excitant, commoventque, corporisque organa ea vi afficiunt, quæ ad opus externe consumandum suapte natura prærequiritur; quæque proinde principium quoddam copulæ constituit. Qui igitur veneream delectationem voluntarie amplectitur, vult quoque eam spirituum commotionem, seu copulæ principium. Hanc delectationem voluntarie amplexatam, quæ lasciva morositas a Theologis dicitur, esse inchoatam pollutionem, et ex parte sui copulæ principium innititur quoque omnium Medicorum votis, quæ referuntur a Diana *Part.* 3. *Tract.* 5. *Resol. I.*

IV. Secundo juxta commune Doctorum axioma, quælibet actio in eadem specie perseverat, sive inchoata, sive completa consideretur. Hoc
est

est actio quælibet ejusdem speciei est, dum primo producitur, ac dum cumulate producta est. Quomodo ejusdem speciei est unius dici puerulus, ac homo adultus, et longævus. Igitur ejusdem speciei est copula inchoata, ac copula consumata; ac proinde si copula consumata adulterii malitiam præsefert, hanc quoque malitiam copula inchoata habebit.

V. En itaque brevem quæstionis solutionem: Delectatio venerea suapte natura præsefert illas corporis motiones, quæ copulam inchoatam constituunt: Atqui copula inchoata eamdem specie malitiam præsefert, quam habet copula consumata; Ergo delectatio venerea eamdem specie malitiam præsefert, quam habet copula consumata. Subsumo: Atqui copula consumata cum muliere nupta malitiam adulterii habet; Ergo delectatio de Muliere nupta malitiam quoque adulterii præsefert.

VI. Hanc doctrinam, quæ usque ad sæculum decimum sextum in Christi Ecclesia inconcussa, et incolumis steterat, celebris P. Vasquez omnium primus argumentis, quæ sciendi sobrietatem ab Apostolo commendatam lædunt, aggredi cæpit, et quem subinde posterioribus temporibus nonnulli Theologi novitatis amatores imitati sunt. Horum Achilles est, quod nempe, Intellectus præcisionis ope potest ab objecto circumstantias quaslibet sejungere, atque ita denudatum ad voluntatem deferre. Rem exemplo explicant. Si quis audiat inimicum occisum in Loco Sacro potest delectari de ejus morte, atque interim dolere, quod

quod hoc homicidium in Loco Sacro patratum fuerit. Et sic hæc delectatio odii peccatum erit, non sacrilegium. Ita, inquiunt, in casu nostro: Eulus delectatus est de copula cum muliere nupta, ipsique displicet, quod nupta sit; ergo eodem jure hæc delectatio simplicis complacentiæ peccatum est, nequaquam vero adulterii malitiam præseferre potest.

VII. Sed facile hujusmodi sophisma exsufflatur. Etenim delectatio duplex est: Alia scilicet interior tantum, et speculativa: Altera vero exterior, et practica. Prima est, quæ nullo modo in actionem externam influit, quæque proinde non est ejusdem actionis caussa. Secunda vero est illa, quæ influit in actionem, atque ideo actionis caussa est. Delectatio de nece inimici illata in Loco Sacro in necem inimici nullatenus influit; Et ideo nullatenus ejusdem necis caussa dici potest. Contra vero delectatio de copula cum Muliere nupta, organa ad copulam spectantia suapte natura commovet, et est vera copulæ inchoatio, et caussa, ut supra demonstratum est. Effectus autem omnes ex sua caussa, et objecto malitiæ speciem mutuantur, proinde, cum hujus delectationis caussa, seu Objectum sit Mulier nupta, ab Adulterii malitia sejungi nequit.

VIII. Hinc colligo Eulum de muliere nupta delectatum, quamvis quocumque consensu secluso, tamen adulterii peccatum mente patrasse; Atque proinde merito celebriores Theologi, et præsertim D. Tomas 1. 2. *Quæst.* 18. et D. Anto-

Antoninus *Part.2. Tract.5.* Confessarios omnes graviter monent, atque hortantur, ut saltem Rudes, atque ignaros homines interrogent de omnibus circumstantiis objectorum, de quibus luxuriose delectati fuerint.

Disquisitio Octava.

Cornelius turpi cogitationi per hebdomadam adhæsit: Tamen aliis distractus curis, decies circiter inhonestum illud phantasma ab ipsius mente evanuit; at ipse toties illud iterum excitavit

Quæritur: An ad integritatem Confessionis satis sit, si Cornelius dicat: Per hebdomadam rem turpem cogitavi?

RESOLUTIO

I. NUnc inquiritur, utrum ad integritatem Confessionis satis sit; si Cornelius dicat per hebdomadam turpi cogitationi adhæsisse, quamvis decies circiter aliis distractus curis ab eadem cogitatione cessaverit. Huic Quæstioni viam aperit Concilium Tridentinum *Sess.* 14. *Can.* 7. ubi decretum legimus omnia peccata singillatim confitenda esse. Hac de re, omissis de more fastidiosis illis metaphysicæ distinctiunculis, quibus usque ad nauseam Moralem disciplinam onerarunt, fædaruntque nonnulli, unum dumtaxat breviter, nitideque observabimus.

II. Uni-

II. Unitas numerica peccatorum ex unitate numerica malitiæ desumitur; nempe ubi una numero malitia est, ibi quoque peccatum numero unum reperitur. Res evidens est. Etenim sicuti physica culpa dicitur una, ubi actio physica una est; ita quoque si malitia una fuerit, nonnisi unum peccatum consequitur. Hinc sicuti quælibet physica actio in plures distinctas actiones multiplicatur, si caussa physica cesset ab eadem actione, et eam subinde pluries repetat; ita quoque actio moralis in plures distinctas actiones dividitur, si voluntas, quæ est moralium effectuum caussa, eamdem actionem vere abrumpat, et iterum iterumque excitet.

III. Dixi actionem moralem multiplicari, si voluntas eamdem vere abrumpat, repetatque. Fieri enim potest, ut actio moralis interrumpi videatur, quamvis hæc interruptio revera a voluntate minime profluat. Hic est præcipuus totius quæstionis cardo. Quare rem intimius rimemus oportet. Illud a voluntate vere proficiscitur, quod cum expressa agendi intentione, et clara rei advertentia copulatur. Quippe voluntas potentia cæca est, quæ scilicet nunquam agere potest, nisi ab intellectu lumine suo excitetur, atque propellatur. Hinc ut actionis interruptio voluntaria vere dici queat, necesse est, ut intellectus eam interruptionem voluntati proponat, et voluntas eamdem approbet, atque decernat; requiritur scilicet, ut voluntas peculiari intentioni, atque decreto expresse decernat, atque veluti dicat: Volo, ut hæc

actio

actio interrumpatur. Secus vero res evenit si actionis abruptio nec ab intellectu voluntati proponatur, nec voluntas eam peculiari, explicitaque intentione amplexetur. Rem totam duobus apud moralistas vulgaribus exemplis declarabimus.

IV. Cajus, et Mævius inimicum occisuri tota die armis onusti Civitatem perlustrant. Prior aut pietate commotus, aut periculo perterrefactus sæpius in ea die pravum occidendi desiderium interrupit, quod tamen subinde rabie rationem subvertente, iterum amplexatus est; alter vero læthali odio inhærens nunquam desiderium illud rejecit, quamvis aliquoties ob colloquia cum amicis obviam venientibus, aliisque circumstantiis ad res disparatas cogitaverit. Quisque nitide conspicit Caji desiderium, utpote per expressam voluntatis intentionem interruptum, atque iterum excitatum, interruptiones, et repetitiones continere vere a voluntate proficiscentes; desiderium autem Mevii involuntarie fuisse interruptum, utpote ex naturalibus dumtaxat distractionibus, non ex decreto Voluntatis revocatum.

V. Hac posita observatione dico: Cornelium patrasse unum numero peccatum; ac proinde satis esse ad integritatem Confessionis si dicat: sese per hebdomadam rem turpem cogitasse. Hanc assertionem ita demonstro. Decies illæ interruptiones, quibus Cornelius a turpi cogitatione cessavit, non a voluntate, prout in casu exponitur, sed a domesticis curis profluxerunt. Atqui quando actionis moralis interruptiones a voluntate non pro-

proficiscuntur peccatum non multiplicatur, sed unum numero perseverat; Ergo peccatum Cornelii multiplex non fuit, sed unum.

VI. Unum adversus hanc solutionem objici posset, quod claritatis gratia prætermittendum non est. Qui ex. gratia per horam integram oravit, et in ea oratione involuntarias distractiones habuerit, si easdem semper ejecerit, et debitam attentionem excitaverit, toties novos meriti, et præmii gradus meritus est; Ergo a pari, qui actionem malam per hebdomadam cogitavit, novos malitiæ, et pænæ gradus meretur, quoties eamdem cogitationem revocavit, quamvis involuntarie ab ea distractus fuerit.

VII. Verum hæc Objectio duplici responsione solvitur. Prima: Quamvis concedatur novos semper malitiæ gradus ex actionis repetitione aurgeri; hoc tamen augmentum culpam non aggravat in infinitum, ut Scholæ loquuntur. Circumstantiæ autem, quæ culpam nec ad speciem diversam transferunt, neque in infinitum aggravant, utpote Confessarii judicium minime permutantes, confiteri non tenemur, ut ex Concilio loco citato colligitur. Ergo novas illas repetitiones confiteri non oportet.

VIII. Secunda: Distinctos numero meriti, et demeriti gradus in una, eademque actione comminisci hariolari est, non ratiocinari. Meriti quippe, et demeriti gradus, si actio una sit, nec specie, nec numero multiplicantur; sed dumtaxat in ratione temporis extenduntur. Hinc idem, et æquale

le omnino meritum adipiscitur ille, qui per horam integram in oratione piè, devoteque perseverat, ac ille, qui æquali tempore Orationi incumbit, quamvis distractionibus omnino involuntariis divergatur. Hinc eodem jure idem, et æquale peccatum committit ille, qui per hebdomadam integram putidæ cogitationi semper fixus hæsit, ac ille qui æquali tempore simili cogitationi mentem adhibuit, quamvis decies, et pluries, involuntarie tamen ab eadem cogitatione distractus fuerit.

Disquisitio Nona.

Porphirius confitetur sese undecies quamdam domum ingressum fuisse, ubi quinquies cum Fæmina illius domi peccavit.

Quæritur: Quid jure decernendum est a Confessario?

RESOLUTIO.

I. PEccandi periculum, et Occasio est tota, in qua præsens, et subsequens Disquisitio versatur, materia. Quare eodem non ad inflantem humanæ sapientiæ regulam, sed ad infallibilem Sanctuarii stateram singillatim perpenso, clare, nitideque expositæ quæstionis demonstratio, nec non subsequentis solutio derivabitur.

II. Peccandi Periculum, & Occasionem cum

S. Carolo Borromæo in aurea Confessariorum Regula appellamus omne illud, quod peccandi mortaliter caussam administrat, eoquod vel per se in peccatum inducat, vel ejus occasione homo ad peccatum alliciatur. Quodlibet periculum, et occasio magis, vel minus ad peccandum impellit; hinc occasio peccandi, & periculum in proximum, & remotum divisum fuit.

III. In stabiliendis characteribus, quibus occasio, & periculum proximum, vel remotum constituitur, si Scholæ Doctores consulamus, operam, & opus perdimus. In hoc namque, sicuti in cæteris Moralis Disciplinæ negotiis tum ob nimiam erga proprias opiniones indulgentiam, tum ob Scripturarum, Sanctorumque Patrum neglectum reperimus putidam illam sententiarum varietatem, quæ meritò, summoque jure manifestissimum communis ignorantiæ signum appellatur. Relictis itaque cænosis humanarum opinionum fontibus, unanimem Sanctorum Patrum consensum exploremus. Ex Augustino in Epistola ad Euthimium, Theophilacto in Evangelii verba: *Si Oculus tuus dexter scandalizat te*; Hilario *Can.* 4. Athanasio *Quæst.* 70. Paciano *Ep.* 3. contra Novatianos, Cyrillo Alexandrino in Johannem, Anastasio *Quæst.* 7. Salviano *lib. de Providentia*, aliisque, quos consulto prætermitto, ne Patrum elenchum texere videar, edocemur, occasionem, & Periculum proximum sub gravi culpa a quolibet Christiano declinandum illud esse, in quo homo positus rationabiliter, scilicet attenta humanæ fragilitatis inclinatione, & malorum habituum expe-

experientia metuere debet sese peccaturum; ubi vero neque ex propriæ fragilitatis experimento, neque ex pravo aliquo habitu hic peccandi timor rationabiliter enascitur, periculum, & occasionem remotam esse.

IV. Hic sedulo perpendantur duæ illæ conditiones, in quibus proximi, et remoti essentia constituitur; scilicet propriæ fragilitatis experientia, et malorum habituum inclinatio. Quippe ex unius, vel alterius omissione omnes illas lites exortas esse arbitror, quibus in definienda occasione proxima Theologi in diversa abierunt. Exemplo utramque conditionem explicabimus. Cajum decies per quamdam viam pertransientem, totidem hostis aggressus fuit: ipse autem quinquies superatus èst, et quinquies hostem vicit, atque in fugam egit. Quæro nunc quid vaticinandum de undecima vice, scilicet Cajus num victor erit, an victus? Quilibet vir prudens conspiciet Caji fortunam pro undecima vice absolute dubiam esse; quippe cum ipse quinquies victor fuerit, et quinquies victus ex æquo exitus bonus sperandus est, et malus pertimescendus. En boni, et mali habitus efficaciam. Videlicet, cum habitus peccandi æqualis sit habitui non peccandi in eodem genere, absolute dubium est, utrum in iisdem circumstantiis actus immediate futurus peccatum fuerit, nec ne; quomodo absolute dubium est, an Cajus in eadem via pertransiens victor erit, nec ne.

V. Nunc eidem exemplo inhærentes observemus sauciatæ naturæ, humanæque fragilitatis incli-

inclinationem. Idem Cajus in decem illis vicibus, quibus cum hoste decertavit, semper infirmior evasit, et armis semper debilioribus accessit. Hostis autem semper fortior, novisque, atque validioribus armis instructior. Nunc equidem undecimo ad pugnam ambo ascendunt; sed Cajus imbecillis vehementer est, et pene inermis; hostis autem novis adjunctis viribus, et armis fortissimus. Sciscitor nunc quid de hac undecima fortuna ominandum? Sane spes omnis pro Cajo evanescit, et timor pene certitudo evadit fore, ut Cajus infelici fato occumbat. En sauciatæ naturæ, et humanæ fragilitatis indolem. Humana voluntas ex originali labe deformata, et ad malum suapte natura prona, quoties in peccatum ruit, toties ejus vires extenuantur, et arma moralium virtutum, quibus vitia superamus, deperdit. Ejus autem hostis, scilicet concupiscentia carnis, ut ait Paulus, et Diabolus, qui, ut loquitur Petrus, semper circuit quærens, quem devoret, fortiores, atque insolentiores evadunt. Unde Homo, qui quinquies peccavit, et quinquies in iisdem circumstantiis non peccavit, si attendatur dumtaxat habitus peccandi, et non peccandi efficacia, absolute dubium erit, an undecima vice peccaturus sit. Sed si juxta laudatam Sanctorum Patrum regulam perpendatur etiam humanæ infirmitatis indoles, non dubium, sed probabilissimum, imo certissimum erit eumdem in eisdem circumstantiis undecima vice peccaturum. Utrum igitur occasio, vel periculum proximum,

vel

vel remotum judicari debeat, non modo numerus vicium, in quibus homo peccavit, et non peccavit, verum quoque naturæ semper imbecillioris inclinatio calculanda est.

VI. Ex iis, quæ hactenus non ex inflante humanorum argumentorum cæno, sed ex aperto Sanctarum Scripturarum, et antiquorum Patrum Sacrario deprompsimus, hæc sua sponte consequuntur, quæ uno oculorum obtutu expositæ quæstionis solutionem continent.

VII. Ex constanti Sanctorum Patrum consensu occasio proxima dicitur illa, in qua homo positus, rationabiliter timendum est, fore ut, attenta mali habitus vi, et naturæ infirmæ inclinatione in eadem peccata prolabatur: Atqui rationabiliter timendum est, fore ut Porphirius in eadem Domo cum illa fæmina peccet, attentis nempe, pravi habitus, nec non naturæ inclinatione, ut supra explicatum est; Ergo Porphirius in occasione proxima peccandi versatur: Atqui homo in occasione proxima peccandi voluntarie positus absolvi nequit, nisi antea occasionem relinquat, ex propositionibus damnatis (n. 2. seq. Disquis.); ergo Porphirius absolvi nequit, nisi occasionem prius abjiciat.

VIII. Occasionem, in qua Porphirius versatur, proximam secundo loco deducimus. Si hujusmodi denominatio alicui displiceret, parum refert. Vocetur illa quomodo lubet: de vocibus quippe disputare perridiculum. Quocumque vero modo appelletur, stabit semper occasionem illam

illam a Porphirio sub gravi vitandam esse, nec absolvendum, quin prius certa det signa, quibus Confessarius tuto judicare possit Porphirium occasionem illam omnino dimissurum. Hoc probavi ex oraculo Sanctorum Patrum; nec non penè ad literam transcripsi auream S. Caroli Borromei Regulam Romæ nuperrime solemniter adprobatam, et toti Clero Romano, aliisque Christianis Provinciis studiosissime commendatam. Vide Amort *Tom. 2. pag.* 20.

Disquisitio Decima.

Aurelius Vir magnæ integritatis ab omnibus semper habitus, Concubinam sub tectorio titulo retinet; quam proinde a se dimitti non posse contendit absque irreparabili sui honoris jactura, nec non amissione quinquaginta aureorum, quos eidem mutuo dedit.

Quæritur. An sit absolvendus?

RESOLUTIO.

I. Ex iis, quæ in superiori Disquisitione attulimus argumentum etiam ad hujus Casus enodationem sua sponte consequitur. Nihilominus pro clariori intelligentia scitu dignum est occasionem proximam dividi a Patribus, et Theologis in voluntariam, et in involuntariam. Voluntaria illa est, quam quis rejicere potest; involuntaria, quæ rejici nequit

ob

ob impotentiam physicam, vel moralem. De physica impotentia nulla est Doctorum discordia: Certum quippe est hanc impotentiam sitam esse in extrinseca vi, quam homo superare non potest. Ita esset si quis carcere detineretur una cum Meretrice. At de necessitate morali innumeræ quoque ad placitum accomodatæ opiniones occurrunt. Nos qui dissentientibus hominum opinionibus solemniter vale canere solemus, inhærentes D. Pauli testimonio docentis: *Non faciamus mala, ut eveniant bona*, dicimus necessitatem moralem eam esse, quam homo quidem superare absolute potest, sed inde majorum peccatorum periculum, et cumulus exoriretur. Ita Puella nubilis in paterna domo degens, et cum Fratre peccare solita, est in occasione proxima moraliter necessaria. Posset equidem et domo aufugere, et profuga abire. At quot majora mala, et peccata enascerentur?

II. Alii tertiam addunt necessitatem, quam Theologicam appellant, quæ emergit ex maximo aut divitiarum, aut honoris, et temporalium bonorum detrimento. Hanc nos diris vovemus. Ea enim est venenatus ille fons, ex quo Propositiones illæ manarunt, toties a summis Pontificibus anathemate confossæ; et ex diametro opponitur Sanctorum Patrum Doctrinæ, et Oraculo Christi Domini dicentis: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te; Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus mittatur in gehennam. Et si dexte-*

dextera manus scandalizat te, abscinde eam, et projice abs te. Quæ verba unanimiter Patres, et Interpretes de omnibus quibuscumque temporalibus bonis intelligenda esse docuerunt.

III. Ex his principiis tanquam certum, et inconcussum deducimus, Aurelium absolvendum non esse, donec e domo sua instar Abrahami non ejiciat (*Gen. Cap.* 21.) *Ancillam, et Filium*, peccatum, nempe, et peccandi occasionsm. Et sane quisquis occasionem proximam sub gravi dimittere tenetur; secus Sacramentalis Absolutionis est incapax, dummodo nec physica, nec morali necessitate impediatur: Atqui Aurelius Concubinam retinens ad eam dimittendam nec physice, nec moraliter impeditur; ergo absolutionis Sacramentalis est omnino incapax. Dixi Aurelium nec physica, nec morali necessitate impediri, quominus Concubinam eliminet. Irreparabilis sane sui honoris jactura, necnon quinquaginta aureorum amissio, nec ad physicam, nec ad moralem necessitatem revocari potest. Non ad necessitatem physicam, quia hæc tunc solummodo existit, cum extrinseca insuperabilis coactio habetur, non ad necessitatem moralem, quia hæc necessitas tunc solum datur, cum occasio dimitti nequit, quin graviora peccata exoriantur. Temporalis honoris jactura, ac pecuniæ amissio ad animam propriam servandam peccatum non est, sed necessaria virtus, et veluti tessera Christiani militis, qui Christum Ducem Crucifixum, Judæis blasphemiam, Græcis stultitiam, et nationibus opprobrium sequi glo-

gloriatur, et cum D. Paulo pecunias arbitratur, ut stercora, ut Christum lucrifaciat. Denique si Porphirius Concubinam ejiciat, ejus honor apud quos periclitabitur? Scilicet apud bonos, aut apud malos? Non apud bonos; boni enim Concubinæ ejectionem non modo non vituperabunt, quinimmo summis extollent laudibus: A malis autem dicteriis affici, laus vera est. Chimerica est itaque illa honoris jactura, et puerorum terriculamentum.

IV. Probe noscimus Aurelium reperiri in eisdem angustiis, in quibus fuit Susanna, dum in pomario suo eam aggressi sunt duo senes; unde etiam iste exclamare potest cum illa: *Dan. Cap.* 13. *Angustiæ sunt mihi undique. Si enim hoc egero*, (hoc est retinebo Concubinam) *mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras* (idest honoris temporalis jacturam, et pecuniæ amissionem). At quid inde? Ut cum eadem concludat, oportet: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.*

Disquisitio Undecima.

Epaminonda Domum habet, ex cujus locatione necessaria percipit ad vitam sui ipsius, Filiorum, et Uxoris substentandam. Domum hanc nunc quibusdam Fæminis locavit meretricio male olentibus, quas expellere absque sui detrimento nequit.

Quæritur: An expellere teneatur?

RESO-

RESOLUTIO.

I. ENodandus est hic Casus, qui est veluti consectarium, quod ex iis necessario derivatur, quæ in duabus postremis Disquisitionibus fuse observata fuere; ideo ne eadem omnino repetamus, atque iterato afficiamus tedio Lectores, raptim pauca indigitabimus, ex quibus cætera omnia clare, nitideque colligentur.

II. Ex celebri S. Caroli Borromei Instructione pro Confessariis decernitur absolvendos non esse illos, qui aleæ, et hujusmodi lusionibus indulgent, et qui domum in hunc finem præparatam aperiunt. Instructionem hanc ut pote nuperrime Romæ solemni Congregationis Voto adprobatam, et Sanctorum Patrum Doctrinæ, et Catholicæ Ecclesiæ Spiritui conformem agnitam, omnibusque Christiani Orbis Confessariis summopere commendatam, veluti morum regulam prosequamur oportet, cui contradicere nefas.

III. En itaque Propositionem ex eadem necessario profluentem. Ex laudata D.Caroli Instructione, quæ nunc veluti infallibilis morum Regula habenda est, sancitur, Sacramentali absolutione illos prorsus indignos esse, qui domum locant, aut præparatam habent ad alearum ludos exercendos; ergo majori equidem jure absolutio deneganda illis est, qui domum locant mulieribus meretricium exercentibus. Equidem ideo Domorum præparatio, aut locatio ad publicum, liberumque ludo-

ludorum exercitium prohibita est, quia domus hujusmodi totidem sunt Scillæ, et Caribdes, ubi misere patrimonia dilapidantur, vitia foventur, et latissima peccatis omnibus via reseratur. At quis non videt nigriore calculo meretricis domum inurendam esse, ubi æternæ perditionis pericula frequentiora sunt, et certa incautorum animabus mors propinatur? Hinc Johannes in sua Apocalysi extremum, maximumque peccati periculum in novissima mundi ætate describens, nonnisi meretricem delineavit poculum luxuriæ abominabilem porrigentem. Domus itaque meretricis locus est cæteris omnibus periculosior.

IV. Dixi laudatam D. Caroli Instructionem Sanctorum Patrum Traditioni, et inconcussæ Ecclesiæ praxi consonam esse. In antiqua enim Judæorum Ecclesia sub capitis pæna, ipso Deo loquente, locus nullus meretricibus parari poterat, prout legimus *Deut*. *Cap.* 23. Primis Ecclesiæ Catholicæ incunabulis Fidelium communione privabatur ille, qui quovis sub prætextu non modo meretricis domum ingrediebatur, verum quoque qui in proprias ædes easdem admittebant, quod fuse narrant Origenes *lib.* 4. *contra* Celsum, Clemens *lib.* 3. *Stromatum*, Philo *de Spectaculis*, aliique. Posterioribus subinde temporibus refrigescente multorum charitate, pestis hæc in Christianam Plebem obrepere, et serpere cæpit. Sed statim quoque et Episcoporum, Romanorumque Pontificum Decreta; nec non Catholicorum Principum leges malo tam pernicioso apposita fuere. Celeber-

berrimæ sunt Sanctiones D. Ludovici Regis Galliarum, Philippi IV. Hispaniarum Principis, Alphonsi I. Aragoniæ, et præ cæteris Constitutio Justiniani Imperatoris *Novell.* 14. *de Lenonibus* §. *Præconizamus*, ubi sub extremis pænis prohibetur, ne quis deinceps domum, cubiculum, aut locum quemlibet meretricibus locet; jubetque, ut domus, et ædes ab hujusmodi Mulieribus conductæ statim vacuentur, ipsisque dejectis, et conductionis pacto irrito declarato, nonnisi Piis Personis Christi bonum odorem præseferentibus habitandæ concedantur. Qui integram hujusce rei pertractationem præoptat, consulat Cornelium a Lapide *in Cap.* 19. *Ecclesiastici n.* 9. ubi peculiarem Pii V. Constitutionem refert, et maximos tanti Pontificis conatus describit ad hujusmodi scandalum a tota Ecclesiæ ditione exterminandum.

V. Quin itaque Patrum Traditioni, Sanctisque Ecclesiæ Catholicæ Legibus valedicamus, nequimus asserere licitum esse meretricibus locare domos. Quisque proinde eas expellere debet, quamvis ex earumdem expulsione grave rebus temporalibus incommodum exoriretur. Quid igitur de Epaminonda decernendum est? En solutionem superioribus principiis, & prudentiæ regulis accomodatam. Ipse tenetur suum Parochum consulere, rebusque omnibus, atque circumstantiis patefactis ejus consiliis obsequi. Hanc praxim in hujusmodi materia, quæ non mediocriter habenda est, prudens Confessarius sequi debet. Fit enim aliquando, ut aut ex livore aut ex animi facilita-

lita-

litate, aliisque affectibus falsus evolet rumor, honestisque etiam Mulieribus pessimum impingatur nomen, quod ex fortuita plerumque circumstantia confirmatum veritatis larvam ementiatur, & præcipiti mentis judicio irreparabilis proximorum jactura inferatur. Ea proinde methodo periculum quodlibet evanescit. Parochus quippe rem totam maturè ex officio deliberans accuratè perspectam habere poterit, atque ex rei agnitione id decernet, quod animarum saluti magis expedire conspiciet.

Disquisitio Duodecima.

Messalina puella confitetur sese cum quodam Juvene in amore hærere, italicè: Far l' amore.

Quæritur opportunum Confessarii Officium?

RESOLUTIO.

I. SAne difficillimus est determinatu Casus iste, tum ob multitudinem circumstantiarum, quæ in eo concurrere possunt; tum ob discrepantiam opinionum, sententiarumque, quibus Theologi invicem digladiantur. Nos rem integram ad pauca faciliora, & evidentiora principia revocabimus.

II. Amor licitus est, si undequaque ordinatus sit. Illicitus autem evadit graviter, aut leviter, prout magis vel minus a debita subordinatione exorbitat. Quare ut tuto determinetur, an alicujus

cujus personæ amor licitus sit, necne, satis erit sedulo perspicere quisnam sit debitus nostræ dilectionis ordo; et an huic ordini nostra dilectio consonet. Ordo hic ita ex Evangelio, atque manifestis naturæ vocibus stabilitur, scilicet: Primo loco Deus O. M. tota mente, tota anima, toto corde, omnibus viribus diligendus est. Secundo: diligere debemus nos metipsos, & cæteros homines. De cæteris autem hominibus diligendis ordo quoque suus exigitur. Nam primo loco amandi sunt Parentes, & qui Parentum officio funguntur, videlicet Superiores, atque Spirituales Pastores: Secundo: Propinqui, Consanguinei, Amici, Benefactores; et ex Præcepto Christi Inimici. Hic ordo est veluti lidius lapis, quo Messalinæ amor probandus est. Si ob amorem erga suum amasium ipsa Deum lædit, aut Parentibus inobediens est, aut in Proximum suum scandali occasionem excitat, quisque statim conspicit Messalinæ amorem inordinatum esse, & proinde peccatum grave, vel leve prout magis vel leve, prout magis, vel minus necessario amoris ordini adversatur. Circumstantias singulas evolvere, atque expendere non unius Disquisitionis arctis cancellis comprehendi potest: quare ea dumtaxat ob oculos subjiciemus, quæ sæpius accidere solent, & ad quæ cætera quoque revocari commodè poterunt.

III. 1. Ex Subordinatione amoris erga Deum illicitus est amor, si erga Personam exerceatur, cum qua impossibile sit Matrimonium inire,
quia

quia nempe ea persona vel Claustralis est, vel Sacris Ordinibus initiata. Opponitur, inquam, hic amor dilectioni, qua Deus colendus est. Quippe personæ Votis Sacris illigatæ cor veluti holocaustum Deo sacratum est; qui igitur ob prophanum amorem personam Deo sacram adgreditur, Dagon idolum in Dei arcam per enormem injuriam excitat. Ita quoque si amor, aut in Templis, diebusque Festivis ita exerceatur, ut irreverentiæ Loco Sacro obveniant, aut notabilis pars diei festi a divino servitio auferatur, amor ita exercitus Dei jura lædit; ergo abominabilis.

IV. 2. Quantum ad dilectionem sui, amor illicitus est, si verbo, vel opere, vel cogitatione in grave aliquod peccatum propria anima prolabatur.

V. 3. Quantum denique ad charitatem erga proximum, illicitus est amor, si spiritualis ruinæ adversum aliquem occasio sit. Hoc autem ex multiplici capite exoriri potest. Primo: si amasius, vel amatrix animadvertat complicem gravibus tentationibus ex ea consuetudine urgeri. Secundo: si Parentes inviti sint, aut saltem inscij. Hinc illicitus est amor, qui exercetur inter illos, qui disparis sunt conditionis: hæc enim disparitas Parentes aut unius, vel alterius invitos præsupponit. Si fiat quoque clam, & tempore nocturno. Hoc quippe signum evidens est Parentes, aut Fratres hujusmodi amori non assentiri. Denique si scandalum in cæteros homines exoriatur. Ita esset si ex frequentia collocutionum, ex recipro-

cis

cis muneribus, literulis, murmurationes aliquæ exorirentur, zelotypiæ, odia, & rixæ profluerent.

VI. Ad hæc pauca Capita immensam penè hujusce rei materiam revocare debet prudens Confessarius. Messalinæ itaque amorem hoc lapide experiatur. Iura erga Deum, erga semetipsam, atque erga cæteros homines expendat. Si jura hæc ex nulla parte Messalina ob dilectionem erga Amasium suum lædat, quod in praxi difficillimum, nullius peccati eamdem ream judicet. Sin autem, prout nempe semper contingit, jura illa integra non serventur, imperet ei, ut hisce amoribus valedicto, ad servandam animam suam sedulò incumbat, & Absolutionem omnino deneget, si rationabiliter prævideat, fore ut Messalina amoribus suis nuncium non remittat.

IN SEPTIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM

Disquisitio Prima.

Agrippa alienas res cum clam potest, surripit, idque absque peccati timore. Dictitat enim naturali Lege omnia esse communia, atque Meum, ac Tuum *esse frigidum verbum, quod adversus omne jus effræna hominum libido excogitavit, atque tuetur.*

Quæritur 1. *Septimi Præcepti declaratio, &* *quo-*

quomodo ab Agrippæ dicteriis vindicetur? 2. An aliqua censura ejus opinio inurenda sit?

RESOLUTIO.

I. N*On furtum facies* septimo loco mandavit Deus. Hoc Prœceptum explicans Concilii Tridentini Catechismus, inquit: Quam grave scelus furtum sit, ipsa Naturæ vis, & ratio satis ostendit. Est enim Iustitiæ contrarium, quæ suum cuique tribuit. Nam bonorum distributiones, & assignationes jam inde jure gentium constitutas, divinis etiam legibus confirmatas esse oportet, ut unusquisque, nisi humanam societatem tollere velimus, ea teneat, quæ ex jure obtigerunt. Adversus hoc Præceptum, quod totius humanœ Societatis fulcrum dici potest, ita insurgunt Libertini homines hujus ævi. Inquiunt scilicet: Omnes homines æquales natura nascuntur: Et nemo quidquam ex Matris utero in hanc lucem defert, quod etiam non deferat alter. Idem igitur naturale jus ad hæc telluris bona omnes æqualiter habemus. Natura itaque vult, ut bona omnia communia sint. Primi homines, qui nondum a natura deflexere, hanc bonorum communitatem scrupulosè servarunt. De his scripsit Virgilius *lib.* 1. *Georgicorum canens* =

. . . . . . Nulli subjigebant arva Coloni.
Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat . . . . . .

 Hi-

Historia quoque Sacra plurima exempla refert in familiis Patriarcharum. Ab hac primæva, naturalique rerum communione tunc solum homines discedere cæperunt, cum corruptis moribus luxui, & cupiditatibus viam reserarunt. Tunc factum est, ut fortiores opprimerent imbecilliores, & veluti propria vindicarent sibi ea bona, quæ natura communia fecerat. Hic quadrant S. Ambrosii verba lib. 1. de Officiis Cap. 18. scribentis: *Natura omnia omnibus in communi profudit. Sic enim Deus generari jussit omnia, ut pastus omnibus communis esset; et Terra foret quædam possessio communis*. Natura igitur jus commune fecit; usurpatio jus fecit privatum. Ex quibus, aliisque concludunt profani homines: Natura omnia omnibus ex æquo donavit; qui ergo aliquid surripit, naturale jus non lædit, quinimo naturali jure utitur: Sed qui naturali utitur jure non peccat; Ergo qui aliquid surripit non peccat; proinde furtum non natura malum fecit, sed effræna hominum intemperantia, et cupiditas.

II. Hisce argutiolis septimum decalogi Præceptum cum Agrippa nostro subvertere conantur quidam homines, qui nimis in sensu suo abundant: Sed inscite omnino, atque inepte. Etenim natura vult, ut homines quantum in hac vita fieri potest, bené, beateque vivant. Hoc autem fieri nequit, nisi in Societate maneant. Societas autem diu stare nequit, nisi Homines jus habeant res quasdam in potestatem suam redigere, et ab earum usu alios arcere. Quod quidem sequentes rationes demonstrant.

III. Pri-

III. Prima, quod quarumdam specierum individua, aut sui exiguitate, aut brevi duratione, non possunt nisi uni, aut paucis sufficere; Ergo dum harum rerum aliquam occupavi, jus habeo utendi, et excludendi ab ea alios; Cum nec possit pluribus esse satis: et in ejus usu ego, qui prior occupavi, cæteris præferri debeo.

IV. Secunda, quod quædam genera sunt, quæ nisi industria humana excolantur, aut nullius sunt usus, aut admodum exigui. Si igitur earum partem aliquam ita ego excolui, ut fructus mihi necessarios producat, habeo jus cæteros excludendi.

V. Demum naturalis bonorum omnium communio, quam adeo Libertini jactant, haberi, servarique equidem potuit, cum homines numero pauci erant. At crescente hominum multitudine absque immensa rixarum, et cædium colluvie stare nequivit. Hoc suapte natura evidens est, confirmantque innumera pene exempla ex utraque historia desumpta. Veteres Scithæ, et Parthi, nunc Arabes, et Tartari, quibus communia omnia sunt, Nationes scimus esse dolis, mendaciisque plenas, et non modo Exterorum, verum quoque Domesticorum sanguine quotidie madefactas. Ferini Americani, Huttentotti in Africa, et Caphri Habitatores Capitis bonæ spei, qui hanc bonorum communionem tuentur, bellarum more vivunt absque literis, absque commercio, infidi, proditores, ignari. Cumque bona communia aut deficiunt, aut satis non sunt, in cædes ruunt, debiliores a fortioribus devastantur, interficiuntur, et interfectorum carnes, horri-

horribile dictu! dapes delicatiores præstant. At quo ultra excurrit Oratio nostra? Sufficiat dumtaxat sævissimus præsens Gallorum cathaclysmus Posteritati omni lacrymis inenarrabilibus potius, quam admiratione commemorandus. Unde quæso tot confusiones, tot facinora, tot clades de die in diem ducunt originem? Sat loquuntur illi, qui excusso pulvere a calceamentis suis regionem illam derelinquunt. En igitur quo jactata bonorum omnium communio perducit! Si communionem hanc Libertini exoptant, ad istas pergant Nationes, et celerrimum iter ipsis deprecabimur.

VI. Interim Legislatores omnes Sapentiores bonorum partitionem semper quocumque ævo non modo commendarunt, sed firmissimis legibus præceperunt, conspicientes equidem stare nullatenus posse humanam Societatem, ubi omnia communia forent. Hinc ipse Deus noluit Hebræos hac communione uti, sed vix in promissionis Terram iidem ingressi fuerunt, statim quoque pro singulis Tribubus, et Familiis felicem illam Regionem divisit, prohibuitque, ne unus alterius jus invaderet. Hisce monumentis septimum Præceptum vindicatur, et ostenditur juris naturalis, et cujuscumque Religionis ineluctabile dogma esse furti prohibitionem.

VII. Hujus Præcepti sensus explicatione non indiget. Illud dumtaxat hoc in loco observabimus, quod Concilii Tridentini Catechismus fusius docet, nempe, hoc Præceptum duabus partibus coalescere. Prima pars exprесse furtum vetat; alte-

altera autem pars, quæ veluti in involucro in priore continetur, jubet, ut benigni, et liberales in pauperes, et cæteros homines simus, eorum necessitatibus pro modulo nostro consulentes; Et cum possimus, mutuum demus nihil inde sperantes. Unde usura quoque in hoc mandato vetita intelligitur.

VIII. Furti autem nomine cum omnibus Theologis intelligimus acceptionem rei alienæ invito domino. In qua definitione includitur etiam injusta detentio, quia per injustam quoque detentionem alterius jus læditur. En brevis, et nitida septimi Præcepti declaratio, fontesque, ex quibus solidissima argumenta depromuntur ad revincendam Agrippæ pertinaciam contendentis furtum peccatum non esse.

IX. Denique pertinaciam hanc nigrioribus censuris confixam dicimus. Qui enim hæc pertinaciter docent, non modo hæretici sunt, cum manifestissimo Scripturæ, Traditionis, et Ecclesiæ Dogmati adversetur; verum quoque validissima atheismi suspicione laborant. Quippe quælibet religio seu vera, seu falsa semper furtum vetavit. Quare qui furtum licitum pronunciat, omnem Religionem de medio tollit. Qui Religionem omnem tollit, atheismi vehementissime suspectus est; ergo Agrippa veluti Atheismi propugnator haberi potest.

Asteria Alberici Uxor plurima a rebus domesticis furatur, tum ut inopinatis familiæ sumptibus occurrat, tum ut mundo muliebre abundet: Filii quoque eadem ludunt manu. Rem ægre fert Albericus, volensque infragrantes, ut dici solet, furem agnoscere, consulto nummorum Arcam non claudit, interim clam exitum expectans.

Quæritur: Quid de Asteriæ, et Filiorum arte, ac de Alberici consilio dicendum?

RESOLUTIO.

I. JAm superius cum Theologis omnibus diximus furtum esse acceptionem rei alienæ invito Domino. Remanet igitur nunc particulam illam hac in definitione accurate perpendere, scilicet *invito Domino*. Dominus enim cujuscumque rei invitus esse potest rationabiliter, et irrationabiliter, ut Theologi apposite loquuntur. Rationabiliter invitus est, si rerum suarum perfectum jus habeat, ita nempe, ut absque injuria eodem jure spoliari non possit. Irrationabiliter vero invitus dicitur, si hujusmodi jus non habeat, sed ab eo, aut ob crimen, aut ex aliquo pacto, et consuetudine, vel in totum, vel ex parte exciderit. Ita exempli loco: Cajus plura creditoribus debet: Cavillationibus eos semper ludificat, ne solvere cogatur. Creditores nullam aliam superesse viam con-

conspicientes ad suum recipiendum, clam plura a Cajo surripiunt. Equidem in hoc casu creditores rem alienam accipiunt invito Cajo. At Cajus irrationabiliter invitus est; ac proinde creditores nequaquam furtum committunt.

II. Ex his, quæ de furti natura observavimus, hujus casus solutio veluti sua sponte profluit. Diximus nempe furti reum non esse illum, qui rem alienam surripit Domino irrationabiliter invito. Quare ut rectum de Asteria, Alberico, eorumque filiis judicium feratur, prudens Confessarius exploret necesse est, an Albericus jure, aut injure invitus sit. Ex hac enim conditione pendet, utrum iidem furtum vere commiserint, nec ne. Ut res hæc in suo lumine collocetur, cæterorumque casuum solutionibus sua principia stabiliantur, hæc peculiariter præmittimus.

III. Vir ex Matrimonii jure tenetur Uxori, filiisque ea præstare, quæ ad victum, et vestitum juxta familiæ statum, et regionis consuetudinem pertinent. Mundum muliebrem, scilicet ornamentorum apparatum Uxoribus tribuendum esse Sanctissimarum quoque fæminarum exempla ostendunt. Ita docet *Esther Cap.* 2. *Quæ non quæsivit muliebrem cultum, sed quæcumque voluit, Egeus Eunuchus custos Virginum hæc ei ad ornatum dedit.* et D. Paulus *in Ep.* 1. *ad Tim. Cap.* 2. dicens: *Mulieres in habitu ornato cum verecundia, et sobrietate ornantes se.* Quare ornamentorum copia moderata esse debet cum verecundia, scilicet modestiæ consentanea, nec non cum sobrietate

tate, videlicet ita affecta, ut nullum familiæ, ac domesticæ æconomiæ damnum inferatur. Per hoc vero non adprobamus muliebrem mundum miserrimis hisce temporibus ab insipientibus mulierculis exoptatum, quinimo execramur, ut pote quia reddit Uxores Mariti, et Christi adulteras, ac domus universas subvertit.

IV. Quare si Albericus moderatum mundum muliebrem Uxori denegat, et filiis necessaria ad victum, et vestimentum non tribuit, et aliunde hæc Uxori, et filiis præstare nullum domesticæ æconomiæ præjudicium adferret; ipse irrationabiliter sese gerit. Atque proinde Uxor, et filii furtum non committunt, dum pecunias invito Alberico surripiunt. Hoc evidenter confirmat exemplum speciosissimæ Abigail, quæ, invito Nabal ejus viro, maximam rerum copiam clam abstulit, ut Davidis iram mulceret.

V. Sin autem, quod plerumque accidit, Asteria in ornatu muliebri nec verecundiam, nec sobrietatem servet, ejusque filii non necessaria sibi vindicent, sed pecunias ludis, solatiisque impendant; tunc equidem Albericus rationabiliter invitus est; et idcirco Uxor, et filii totidem furtum vere committunt, quoties aliquid a rebus domesticis subducere solent. In hac autem hypothesi, scilicet, si Albericus necessaria juxta familiæ gradum Uxori, filiisque subministrat, ipse sub gravi hujusmodi furta impedire, et Uxoris, filiorumque pravam furandi consuetudinem compescere, et exterminare tenetur. Media itaque eligat

eligat circumstantiis, et personis accommodata, quæque domesticam pacem, et charitatem non lædant. Quippe si hujusmodi malorum impedimentum esse nequeat, quin familiæ concordia subvertatur, aliaque graviora exoriantur mala; tunc equidem silentio rem prosequatur, et negotium Deo pacis, et charitatis amatori commendet.

VI. Consulto autem Arcam non claudere, ut ita furem agnoscere, ac deprehendere possit, res suapte natura mala est, ac proinde absque peccato ab Alberico non adhibenda. Sicuti enim pessime sese gereret paterfamilias, qui sciens filiorum aliquem luxuriæ indulgere, consulto mulierem pellicem in domum introduceret; ita quoque de Alberico discurrendum est. Quippe tam furtum, quam luxuria suapte natura mala sunt, ut demonstravimus, et quomodo mulier inhonesta hominem luxuriæ datum ad culpam allicit, ita quoque Arca nummorum aperta furem ad furtum invitat. Quare consilium Alberici malum est. Et revera, ejusdem malitiæ est se constituere in proximo morali periculo committendi aliquod delictum, et illud committere, quia qui vult periculum inclinans ad lapsum, vult etiam lapsum ipsum, et peccatum: Sed in morali tam præbens occasionem, quam qui illa utitur peccant; ergo Albericum peccare dicendum est.

Orosius, et Marius Fratres, quorum unus Sarcinator est, alter Coquus cujusdam Equitis, plurima sibi retinent. Primus scilicet panni minutias; Alter vero, quæ ex mensa supersunt.

Quæritur: An licite hoc facere valeant?

RESOLUTIO.

I. CUm omnium prorsus humanarum cogitationum genesis, ut recta, et tuta progrediamur, necessario exposcat, ut clariora, et faciliora in limine collocentur principia, ex quibus subinde illa eruantur, atque veluti sponte sua deriventur, quæ minus clara sunt, et facilia; hinc nos consulto in duabus elapsis Disquisitionibus diligenter naturam, atque proprietates furti investigavimus, et jura stabilivimus, quibus ejus malitia adversatur, ut hinc veluti regia via securo, facilique gressu ad ea enodanda pervenire liceat, quæ in hac materia in foro sacramentali discutienda, atque definienda occurrere solent.

II. Modica igitur surripere culpam esse adversus jura naturale, et divinum, ea nitidissime demonstrant, quæ in superiori Disquisitione de furti natura disserentes observavimus. Cum enim furtum grave ex modicis furtis veluti ex partibus componatur; cumque furtum essentialiter malum sit, et furta modica, quantumvis modica, et pau-

et pauxilla sint, non desinant tamen esse furta, necessario consequitur, quod si furtum peccatum sit, ipsa quoque minima furta peccatum esse debeant. Hinc in Scripturis non modo Deum execratum fuisse legimus furta illa, quæ magnam bonorum surreptionem præseferunt, verum quoque ea omnia, quæ sui tenuitate, paucitateque hominum quoque oculos effugere plerumque solent. Ita in Proverbiis *Cap.* 1. *v.* 2. *et* 20. et in Deuteronomio *Cap.* 25. *v.* 13. legimus. *Statera dolosa abominatio est apud Deum: Abominatio est apud Deum pondus, et pondus: Non habebis in sacculo diversa pondera majus, et minus: Nec erit in domo tua modius major, et minor . . . abominatur enim Dominus tuus eum, qui facit hæc.* Orosius itaque, et Marius Fratres totidem peccarunt, quoties invitis eorum respective Dominis minutias illas sibi retinuerunt, ac proinde in integrum restituere tenentur totum id, quod ab ipsis ablatum fuit. Hæc est generalis hujus casus solutio, quam, ut tuto ad praxim manum admovere possimus, nonnullis necessariis observationibus illustrabimus.

III. Diximus Orosium, et Marium Fratres panni minutias, et mensæ reliquias sibi retinentes furtum totidem commisisse, si ut furti natura exposcit, earumdem rerum Domini inviti fuerint. Ut igitur in praxi hac de re tutum judicium decernatur, sedulo perpendendum est, an Domini inviti sint, nec ne. Nos nonnullas regulas

gulas explicabimus, ex quibus quid sentiendum sit, facile dignosci poterit.

IV. Prima regula est expressa Dominorum approbatio: Secunda est tacitus eorumdem consensus. Expresse Domini approbant Sarcinatores, Coquos, et id generis famulos, artificesque minutias, et leviores res superstites sibi retinere, si famuli, aut artifices iterum, et tertio Dominos certiores fecerint de iisdem minutiis; Domini autem easdem negligentes famulis, et artificibus semper elargiti fuerint. Siquidem Domini ter, et quater de iisdem minutiis admoniti, et easdem semper despicientes, manifeste significant sese non modo invitos non esse, sed libenter consentire, ut famuli, et artifices iisdem liberrime utantur.

V. Tacite autem Domini adprobant harum minutiarum condonationem, si talis sit Regionis, aut Civitatis consuetudo. Ut autem hæc consuetudo legitima sit, et famulos, atque artifices a furto excuset, requiritur primo: ut sit Dominis nota: Secundo, ut Domini eidem non opponantur. Consuetudo hujusmodi nota dicenda est, si communis sit, atque constans, adeout hujus consuetudinis vi artifices, et famuli non clam, sed manifesto, et sub iisdem Dominorum oculis hisce minutiis, et reliquiis pro lubitu suo utantur: et Domini rem hanc aperte conspicientes sileant. Silentium enim hujusmodi in publicis hisce circumstantiis manifestissimum signum est Dominos invitos non esse.

VI. Duplex

VI. Duplex hæc regula nunquam satis Confessariis commendari potest, dum artificum, et famulorum Confessiones excipiunt. Quare de iisdem attente Orosius, et Marius fratres interrogentur. Scilicet ab iisdem sciscitetur Confessarius juxta primam regulam, an Dominos aliquando commonefecerint de minutiis, et reliquiis superstitibus: An Domini admoniti easdem expetiverint, vel despexerint. Juxta vero regulam secundam inquiratur, utrum pro iisdem artificibus, et famulis legitima vigeat consuetudo, quæ constans sit, et Dominis nota: An denique Domini rem conspicientes, sileant: Sin autem vel una vel altera vere adsit, licite uterque, et pannorum minutias, et ciborum reliquias sibi retinent.

VII. In hypothesi autem, in qua tam Orosius, quam Marius Fratres furti rei fuerint, totum id restituere tenentur, quod abstulerunt. Hic vero quæritur, an restituendi onus iisdem incumbat sub culpa gravi, vel levi. Nos tamen respondemus: Si quæstionem hanc speculative, ac generaliter dirimere velimus, nihil brevius, ac facilius. At si in praxi, atque in individuo ea solvenda sit, nihil intricatius, et difficilius. Si generaliter, et speculative loquimur, certissime patet restituendi onus sub gravi culpa incumbere, cum furti materia gravis est: Gravis autem est judicanda, cum aut grave damnum, aut gravis displicentia proximo infertur. At in praxi quandonam displicentia hæc in peculiaribus circumstantiis gravis æstimanda sit, rem altius repetamus opor-

oportet. Pro præsenti resolutione sat erit dicere, quod quamvis levia furta seorsim considerata semper sint eadem levia; attamen vero si inter se, coalescunt, tunc quod leve prius fuerat, grave efficitur. Quomodo autem levia furta coalescant, sane silentio prætereundum ducimus, utpote satis compertum. Ad normam itaque hujus principii Orosius, et Marius interrogentur, et ex rerum quantitate, summa, et circumstantiis colligatur utrum graviter peccaverint, et grave restituendi onus eisdem incumbat.

VIII. Nolunt quidam intelligere, quomodo levia furta multiplicata grave constituere valeant furtum, huic innixi principio, quia repetita venialia unum læthale peccatum efformare non possunt. At inepte quidem; quippe paritas de venialibus deficit, ac evanescit; utpote quia ipsamet venialia quando coalescunt, læthale peccatum utique efficiunt. Et sane; nonne plures comestiunculæ in diebus jejunii; repetita temporis intervalla in operibus servilibus die fæsto insumpta statim ac ad notabilem quantitatem deveniant, læthale constituunt peccatum, quod efformatur ab ultima ex illis licet levibus transgressionibus? Igitur pari passu, parique ratione de furtis minutis sentiendum est.

Disquisitio Quarta.

Richerius ab Evagrio homine ditissimo, cujus famulus est, plurima modica furatus fuit, quæ simul

simul collecta notabilem quantitatem conficiunt. Confessarius id audiens, eumdem inabsolutum dimittit, imposito onere restituendi. Ipse rem perpendens, decernit, aut nihil restituendum; cum tota ablati summa comparata ad locupletem sui Domini statum exigua sit, aut restituendam modicam dumtaxat illam quantitatem, quæ materiam sui furti gravem effecit.

Quæritur 1. *Methodus ad determinandam gravem furti materiam?* 2. *An secundum Richerii consilium ipsum liberet a gravi restitutionis onere?* 3. *An bene se gesserit Confessarius?*

RESOLUTIO.

1. CUm Casus iste coincidat cum antecedente; ideo ob eamdem rationem n. 2. positam dicimus generaliter loquendo Richerium totidem peccavisse, quoties invito ejus Domino modica illa sibi retinuit; ac proinde teneri restituere in integrum totum id, quod ab ipso ablatum fuit. Num vero hoc restituendi onus ipsi incumbat sub culpa gravi, vel levi, quod est totius quæstionis cardo, hoc opus, hic labor est. Diximus utique in superiori *Disquisitione n.* 7. hujuscemodi culpæ gravitatem, ac proinde restitutionis obligationem ex gravi damno, aut gravi displicentia proximo allata esse desumendam. At quoad hoc tres sunt veluti aureæ regulæ, ex quibus discedere nefas:

scili-

scilicet, Scriptura, et traditio; et ubi Scriptura, et traditio silent, peritorum judicium.

II. Pro determinanda igitur gravi furti materia, quamvis nonnulla et in Scripturis, et in Patrum traditione reperiamus; hæc tamen minime apta sunt ad rem hanc decernendam, tum ob varium, et nunquam fixum rerum temporalium pretium, tum ob inconstantem pecuniæ, et nummorum æstimationem. Pecuniæ enim, cæterorumque bonorum valor relativus est. Triginta sex sicli, qui quadraginta circiter Romanis obulis nunc respondent, pinguem primogenituram Gedeonis temporibus in Judaico populo constituebant: nunc talis primogenitura exciperetur cachinnis. Sed quin vetera exempla conrodamus, ex Italiæ historia scimus bis centum abhinc annis septem obulos cum dimidio, italice un *carlino* fuisse maximum prætium, quod pro opere unius diei solvebatur magistris, qui præerant mæniorum constructioni. Variatis nunc pecuniæ pretiis vix centum obuli sufficiunt ad ejusdem operis solutionem. Hinc mirum non est, si in veteribus Ecclesiasticis Historicis, et in collectione Canonum nunc maxima, nunc minor, nunc minima res pro gravi furti materia stabilita fuerit.

III. Deficiente itaque hoc in negotio Scripturarum, et Traditionum face, tertia dumtaxat regula nobis præsto esse potest, nempe, Peritorum testimonium, et judicium, justa vulgatam critices regulam, videlicet: *Peritis in arte credendum est*.

IV. Con-

IV. Consultis itaque Theologiæ Moralis Peritis, hoc præcipue inter eos statutum perlego, quod diffuse pertractat Eusebius Amort *Tom.* I. *pag.* 463. Scilicet, quatuor genera personarum secernenda esse. Primum complectitur Reges, et summos Imperantes. Secundum subditos ditissimos, qui ex redditibus splendide familiam alunt. Tertium mercatores, et artifices: Quartum denique comprehendit pauperes, præsertim qui mendicato vivere coguntur. Respectu Regum, atque Principum stabiliunt unum aureum, seu viginti Romanos Julios esse gravem furti materiam. Respectu ditissimorum subditorum, qui ex redditibus splendide vivunt, docent dimidium unius aurei, seu decem julios: Respectu mercatorum, et artificum julios quinque: Denique respectu pauperum duos julios cum dimidio læthalem furti materiam constituere. Doctores in hisce stabiliendis hoc principio innituntur, videlicet; furti materia gravis ea est, quæ sufficit ad alimentum unius diei personæ, cui aufertur. Sed taxata superius materia sufficit ad alimentum unius diei: ergo materia gravis est.

V. Monent tamen hanc materiæ taxationem non mathematice, sed moraliter dimetiendam esse, nempe, ex circumstantiis, quæ efficere possunt, ut unius obuli surreptio gravem materiam conficiat, si persona cui obulus aufertur, in iis versetur circumstantiis, ut sublato eo obulo, nonnisi gravi cum incommodo illo die vivere potuerit. Ad normam itaque hujus principii Richerius a pru-

a prudenti Confessario interrogetur; et ex rerum quantitate, summa, et circumstantiis colligatur, utrum graviter peccaverit, et grave restituendi onus eidem incumbat.

VI. Ut vero Richerius ab hoc onere liberetur satis non est, si ipse restituat modicam dumtaxat illam quantitatem, quæ materiam gravem complevit. Ad hanc perversam opinionem convellendam plures afferri possent Summorum Pontificum Decisiones, et præsertim Propositio 38. anathemate confixa ab Innocentio XI., quæ manifeste decernunt in solidum illa damna restauranda fore: Sed satis sit ipsum naturale jus breviter observare, et furti naturam animadvertere: modica furta simul physice conjunguntur, cum physice unam summam constituant, qua Dominus injuste orbatus fuit; ergo tota restituenda est, cum ejus restitutio sit possibilis.

VII. Adde quod qui per modica furta rem notabilem furatus est, quamvis dum actu furatur fortassis venialiter dumtaxat per singulas vices peccaverit, tamen totam summam injuste retinendo semper læthaliter peccat. In furto enim, quod ex pluribus minutis furtis coalescit, duo sunt distinguendi actus, nempe injusta acceptio, et injusta retentio. Minutas res surripere cum intentione accipiendi, ac perveniendi ad quantitatem notabilem læthale peccatum est, juxta illud D. Bernardi principium *Ep.* 77. ad Eug. *Voluntas pro facto reputatur, ubi factum non excludit necessitas*; ergo eadem ratione modicam solummodo

modo summam restituere cum intentione totum non restituendi est læthale. Richerius itaque totum restituere sub gravi culpa tenetur.

VIII. Proinde Confessarius ipsum inabsolutum dimittens, exigensque, ut prius restitutioni satisfaciat, optime sese gessit. Nemo enim est, qui non sciat fures facillime restitutionem polliceri; at eadem facilitate a promisso onere resilire. Cum itaque restitutio impossibilis vere non sit, hinc exigendum est, ut antea fures restituant, priusquam absolvantur.

Disquisitio Quinta.

Rogerius famulus Purchotii dum ruri degeret, vas argenteum a Domino suo furatus est, quod in occulta Domus parte cælavit. Quadam die ipsis absentibus domum depopulantur Latrones, et bona omnia, et absconditum quoque vas surripiunt.

Quæritur. An Rogerius ad restitutionem teneatur?

RESOLUTIO.

I. UTrum Rogerius, qui furatus est vas domini sui, quod subinde alii latrones surripuère, ad restitutionem teneatur, est hujus Disquisitionis argumentum, erga quod non una est Doctorum opinio. Qui volunt Rogerium ad restitutionem non teneri, eo principio nituntur, scilicet. Res quæli-

quælibet si perit, domino perit. Deinde restitutio fieri debet ad restauranda illata damna. Et ideo ubi nullum damnum illatum est, nulla quoque existit restitutionis obligatio. Vas Purchotii quamvis a Rogerio sublatum non fuisset, tamen ex latronum depopulatione periisset; igitur nullum damnum Rogerius Purchotio intulit, et ideo reddere non tenetur. Qui vero contrariam sententiam tuentur graviorum Theologorum, et præsertim D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 62. *art*, 6. auctoritatem recitant, atque objiciunt.

II. Ego, quantum ingenii mei exiguitas, atque imbecillitas patitur, accurate utramque opinionem expendi, rationes in utramque partem acri examini iterum, et tertio subjeci: et ex hac comparatione illud mihi manifestum esse videtur, nempe, Rogerium ad restitutionem obligandum esse, quamvis sublatum vas eodem modo periisset, etiamsi a Rogerio subreptum non fuisset. Quod ita ostendi posse videtur. Restitutionis obligatio ex duplici fonte derivatur; videlicet ex injusta acceptione, et ex damno illato. Igitur ubi res injuste accepta fuit, quamvis nullum inde damnum emersit, restitutionis tamen obligatio necessario exoritur. Res exemplo patefit. Cajus injuriosis Titium verbis affecit: Nullum tamen damnum Titio obvenit: Tamen humanis, atque naturalibus legibus sancitum est, ut Cajus illatam injuriam vel carcere, vel pecunia, vel alio pœnarum genere reparare debeat. Evidens est igitur illud, quod ubi datur actio injuriosa, seu inju-

injusta, necessario exoritur reparationis, et re-restitutionis obligatio, quamvis nullum damnum illatum fuerit. Atqui Rogerius noster per actionem injuriosam vas sui domini surripuit; ergo ad restitutionem tenetur quamvis nullum damnum ex hoc Rogerii furto vere secutum foret.

III. Hinc hallucinantur, adversarii, inquientes restitutionis obligationem necessario præsupponere damnum injuste inductum. Falluntur inquam: Nam quælibet injusta actio reparationem, et restitutionem exflagitat: Atqui non modo damnum illatum, verum quoque injuriosa acceptio est actio injusta; ergo non solum illatum damnum, sed etiam injusta acceptio restitutionis onus præsefert.

IV. Quod vero dicunt rem quamlibet, si perit, proprio Domino perire; Verum quidem, si excludatur quælibet alterius culpa. Ita si quis depositum accepit, servandumque pacto spopondit, si vel ob levem, vel gravem sui culpam depositum deperdatur, depositum non Domino perit, sed ei, qui illud servandi onus susceperat. Rogerius noster Vas argenteum surripiens gravissimam induit obligationem illud restituendi, ipsumque retinendo fuit semper in mora culpabili. Hinc alterum prodit argumentum: Si depositum perit eo tempore in quo Depositarius est aliqua omissione culpabili circa ipsum, tunc depositum Depositario perit, et ipse ad integram tenetur restitutionem; Atqui dum latrones Vas depopulati sunt, Rogerius in duplici gravi culpa versabatur, scilicet, in acceptione injusta, et in omissione restitutio-

tutionis; Ergo a fortiori Rogerius Vas argenteum restituere tenetur.

Disquisitio Sexta.

Malcho Satellitum Dux in Nundinis, aliisque temporibus strenas, et munera exposcit, et accipit a Mercatoribus, rusticis, aliisque hominibus, qui sane non libere dant, sed ex uno timore, ne in datis circumstantiis ab ipso, suoque agmine vexentur. Augustinus Confessarius eumdem absolvere negat, contendens eadem esse veri nominis furta, et ad restitutionem ipsum, suosque in solidum teneri.

Quæritur: An recte?

RESOLUTIO.

I. MAgni ponderis, magnæque considerationis hujus Casus resolutionem esse ob scopulos, quibus undequaque circumdatur, neminem latere opinor. Nec ipsum in solis metaphysicis castris morari putandum est, cum et in praxi accidere posse per se perspicuum sit, ac evidens. Plura enim multoties in praxi fiunt, quæ vix excogitari queunt. Ad hoc ut igitur illa claritate, quæ in moralibus desideratur, hac in resolutione procedamus aliqua in antecessum sunt præmittenda. Et ab ipsamèt restitutionis notione esse incipiendum opere prætium ducimus.

II. Restitutio igitur juxta nominis ethimologiam

giam aliud non est, nisi quasi rei in statu pristino statutio, seu quasi alicujus in sua posessione, aut dominio statutio: Unde in se sic communiter describitur: *Est actus justitiæ commutativæ, quo vel suum Domino redditur; vel damnum illatum reparatur*. Dicitur *actus justitiæ*, quia per illam redditur Dominus indemnis in rebus suis, ad quod inclinat justitia, quæ est virtus tribuens unicuique quod suum est. Dicitur *commutativæ*, quia in restitutione servari debet æqualitas rei ad rem, itaut tantum reddatur, aut reparetur, quantum fuit ablatum, aut damnificatum. Hinc igitur veluti sua sponte fluit: Restituendum esse totum id quod injuste fuit acceptum, aut damnificatum. Quapropter ad dignoscendum an rectum fuerit Augustini Confessarii judicium in contendendo exposita munera a Satellitibus esse restituenda, sat erit si in patulo ponatur, num ista munera fuerint injuste accepta, nec ne.

III. Pluribus tamen modis injuste aliqua res accipitur: Sed ut ad rem nostram facit; vel per ablationem furtivam, vel per rapinam explicitam; vel per rapinam implicitam. Ablatio furtiva est cum res aliena invito rationabiliter Domino occulte aufertur. Rapina explicita est cum res aliena cum violentia occupatur. Rapina implicita est cum quis aliquid postulat, quod inferiores non audent ob metum negare. Ita habetur *Cap. Militare. Dig. ad Legem Jul. de vi publica*.

IV. Cum igitur Malcho in casu exposcat munera ab Hominibus, qui libere non dant, sed solummodo ex timore, ne in datis circumstantiis

vexentur, dicendum sane est, ipsum rapinæ implicitæ esse reum. Quapropter Augustinus Confessarius recte se gerit, negando illi absolutionem, contendendo illa munera esse veri nominis furta, et ad restitutionem teneri. Enim vero judicium illud sane rectum est judicandum, quod in Lege, ac ratione suum habet fundamentum: Atqui Augustini Confessarii judicium in Lege fundatum est, quæ rapinæ reos habet omnes illos, qui aliquid postulant, quod inferiores non audeant ob metum negare. Fundatumque est in ratione; Quippe ratio dictat, atque demonstrat præfata munera a Satellitibus accipi invitis Dominis; nam esse invitum, et non libere dare idem sonant; Ergo Confessarii judicium, ut rectum habendum est.

V. Et re quidem vera, quo titulo, quæso, noster Malcho recipit munera ista? Forsan titulo eleemosynæ? At quamvis charitas Dei, videlicet Dei amor, sit motivum, et caussa, ob quam eleemosyna in communi, et in genere a Fidelibus elargitur; quod vero tali, vel altero pauperi detur, a paupertate, quæ supponitur, est omnino repetenda: Paupertate igitur deficiente, deficit motivum eleemosynæ, ac per consequens quidquid sub hac ratione accipitur, injuste accipitur, et restitutionis debitum importat. Forsan titulo donationis? Sed in donatione liberam requiri voluntatem neminem fugit. Quapropter Theologi omnes uno ore clamant, non valere donationes a Novitiis factas in gratiam sive Domus, in qua commorantur, sive aliarum ejusdem Ordinis,

in

in quo Religionem sunt professuri. Qua de causa? Quia hujusmodi donationes non judicantur fieri cum integra libertate, sed minis, metu, astutia, dolo extorqueri; uti sunt proculdubio munera, quæ Malcho noster accipit. Item sustinent Donationes esse omnino nullas, quæ fiunt Confessariis, Medicis, Advocatis. Ob quem finem? Propter eamdem suspicionem nimii in donatoris animum imperii; Ergo pari passu dicendum est in Casu nostro; ac per consequens titulo donationis retinere illa Malcho noster non valet. Forsan denique titulo æmolumenti? Utinam omnes Operarii similia Satellitum æmolumenta reciperent. Nullo itaque motivo potest Malcho præfata munera accipere.

Disquisitio Septima.

Cum Nicephorus surripuisset Petro aureos quinquaginta, hisce unius anni cursu alia quindecim lucratus est. Nunc autem certo scit illos quinquaginta aureos cuidam Mercatori a Petro prius ablatos fuisse: Accedit quapropter ad Confessarium pro restitutione.

Quæritur Confessarii Consilium.

RESOLUTIO.

I. HOcce in Casu tres contineri difficultates neminem fugit. Prima quippe est circa Personam,

cui

cui debet fieri restitutio; An scilicet Petro, an vero Domino, nempe, Mercatori. Secunda respicit lucrum furtiva pecunia acquisitum. Tertia tandem est quoad interesse Mercatoris, an, videlicet, Nicephorus una cum pecunia ablata ad compensandum damnum emergens, et lucrum cessans Mercatoris obstrictus sit. Damnum enim emergens est cum Dominus propria re orbatus adstringitur ad aliquid patiendum, quod sane non eveniret, si rem suam possideret. Lucrum cessans dicitur, cum Dominus re sua spoliatus, non id lucratur, quod utique lucraretur, si rei suæ dominium haberet.

II. Hinc quoad primam difficultatem dico, ablatæ pecuniæ restitutionem faciendam esse, non Petro, sed Mercatori. Res enim aliena in cujuscumque existat potestate secum ducit obligationem reddendi ex justitia legitimo Domino; maxime cum quis sine magno suo detrimento hoc facere possit: Sed quinquaginta aureorum Dominus legitimus est Mercator, et non Petrus; Mercatori igitur, et non Petro restituendi sunt. Et sane Nicephorus per injustam illius pecuniæ detentionem Mercatorem, non vero Petrum damnificat; itaque Mercatori restituere tenetur, cum restitutio sit actus justitiæ commutativæ, quæ adstringit dare unicuique, quod suum est.

III. Deinde a Nicephoro compensandus est Mercator in damno emergente, et lucro cessante ex injusta illorum quinquaginta aureorum privatione: Omne enim damnum quod per injustam acce-

ceptionem, seu retentionem rei proximo allatum est, restituendum esse jura omnia clamant. Interesse autem, quod passus est Mercator vel lucri cessantis, vel damni emergentis nonne est damnum per injustam illam quinquaginta aureorum acceptionem a Nicephoro patratam, injustamque retentionem illatum? Hinc dicit D. Thomas 2. 2. *quæst. 62. art. 4. Damnum alteri dare idem esse, quod quippiam ei auferre*. Nicephorus igitur ad solvendum interesse est obstringendus, quod Mercator propter suæ pecuniæ privationem passus est.

IV. Quæstio vero est inter Theologos de lucro furtiva pecunia acquisito. Quidam enim sustinent non esse Mercatori tribuendum, quia nemo plus tenetur restituere, quam accepit, cum damnis, si quæ dedit, et cum lucro, si alteri culpa sua cessavit. Alii vero econtra, quibus et nos subscribimus, tenent restituendos esse omnes fructus; etiamsi Mercator illos percepturus non fuisset. Res enim semper Domino fructificat; Ergo fructus quinquaginta illorum Aureorum ad Mercatorem, non vero ad Nicephorum spectant. Quapropter falsum reputamus adversariorum assertum, scilicet, Nicephorum non teneri restituere, nisi id, quod injuste accepit; quia teneri quoque restituere id, in quo per injustam acceptionem, retentionemque factus est ditior, ipsamet naturalis ratio dictat quam maxime. Poterit tamen Nicephorus sui laboris, suæque industriæ prætium, ac impensas, quas posuit deducere, quia hæc omnia sua sunt.

Disqui-

Melchior nunc primum recordatur, et confitetur sese dum juvenis erat; et cujusdam Divitis famulus, pene quotidie per plures annos surripuisse ab Hero suo nunc panem, nunc oleum, nunc nummos, ut pauperrimæ Familiæ succurreret, quæ in extrema necessitate versabatur, et quam nulla alia ratione succurrere poterat.

Quæritur 1. *Quænam sit, et unde dignoscatur extrema necessitas?* 2. *An Melchior furtum commiserit?* 3. *An denique Melchior, qui nunc aliqua bona possidet restituere teneatur?*

RESOLUTIO.

I. JAM cuique notum est, atque compertum eum tantummodo de crimine furti incusari, et esse apud Deum, qui aliena occulte surripit, sive detinet invito irrationabiliter Domino, *Disquis. II. n.* 1.. Tunc enim justitiam graviter lædit cum legem illam in hominum animis insculptam jus suum unicuique tribuendi flocci, nihilique pendat, atque in irritum mittat, pessumdatque penitus. Quinimo tali flagitio se inquinat, atque deturpat, ut ex suis vinculis sese eripere difficillimum quidem videatur, ne dicam impossibile, quemadmodum innuere videtur Abacuc *Cap.* 2. *V.* 6. *Væ, qui multiplicat non sua. Usquequo et aggravat contra se densum lutum?* Homo siquidem luto demersus,

sus, atque infixus emergere egre valet; ita Fur e peccato suo assurgere vix, ac ne vix potest, propter arduam, quæ inde exoritur, quidquid ereptum est, ablatumque injuste restituendi, difficultatem.

II. Verum licet furtum ex sui natura facinus sit lethale, utpote Deo exosum, animæque noxium, atque infestum; nihilotamen secius aliquando accidit, ut scelestam deponat naturam, et furti reus quis non evadat, licet rem surripiat alienam. Et ne plus quam par est sim prolixior, aliquos tantummodo Casus seligam ad elucidationem præsentis Resolutionis cominus conducentes. Quoties jus naturale, vel positivum aliquid surripi permittit, procul tunc abest furti noxia, neque ex eo inquinatus apud Deum creditur, qui ita se gerit. Quare in hoc albo primo recensentur illi; qui rem alienam surripiunt invito irrationabiliter Domino. Qui enim eo dementiæ devenerit, ut sibi persuadeat eum a furti crimine minime eximi posse, quoties justa non interveniente caussa contradicit Dominus, refragaturque? Tunc enim non furtum, sed debitum juste acceptum esse dicendum, non est qui ire possit inficias. Et qui surripit utitur jure suo, e quo nisi per summum nefas valet exturbari.

III. Hinc veluti sua sponte fluit extrema laborantem necessitate præcipue jure hoc gaudere. Extrema siquidem necessitate urgente bona quæcumque externa veluti communia consideranda sunt, quorum usus redditur cuique communis, et

nis

detestabitur eleemosynam ex furto factam? Nonne in ambobus casibus furtum intervenit? Ergo si primum detestatur, et secundum execrari necesse est.

VI. Et revera si illi cordi est, atque curæ, ut paupercula Familia e necessitate, quæ ei præmitur, emergat tandem, cur de suis bonis non erogat? Nonne tunc magis christiana sua charitas in apricum poneretur, et ea flagrari luce meridiana appareret? De rebus Domini sui nullum ei inest dominium, facultas nulla; qua igitur fronte, quave libertate ipso inconsulto rem suam alio dispergit, dissipat, dilapidat? Neque ei responsio illa minime suffragatur, quod in eleemosynam tribuat, quia ut inquit D. Thomas 2. 2. Q. 32. *art.* 2. *ad* 8. *Qui est sub potestate constitutus, de re, secundum quam Superiori subjicitur, eleemosynam facere non debet, nisi quatenus ei a Superiore fuerit permissum.*

VII. Si vero Melchior bonis sit propriis destitutus, nec habeat unde miserrimæ familiæ opem ferre valeat, eum furibus accenseri, si Domino aliquid surripit, ut eam alet, nefas est. Hanc sententiam innuit D. Thomas 2. 2. Q. 66. *Art.* 6. *ad* 3. *Potest aliquis occulte rem alienam accipere, ut subveniat proximo sic indigenti*: Melchior enim in casu proprie non surripit, sed se habet veluti instrumentum personæ indigentis, quæ cum per se forte non possit, utitur alio, ut sibi subveniat, vitæque suæ neci occurrat, atque opituletur. Qua fronte ergo furti insimulabitur

fa-

famulus iste, si Domino suo aliquid surripiat, quod pauperculæ familiæ stipem ad vitæ conservationem necessariam porrigat? Nonne voci naturæ suas præbet aures, quæ dictat, clamat, ne dicam perstrepit, ut proximo indigenti suppetiæ ferantur? Cum enim quisque ab ipsa adigatur natura, ut proximum eo prosequatur amore, quo diligit seipsum, nedum potest, sed studium insuper adhibere debet, atque diligentiam ei subveniendi eo modo, quo valet, et vellet ipse, si eadem præmeretur necessitate, atque indigentia. Cum igitur Melchiori alia via non suppetat ferre opem pauperrimæ familiæ, male non se gerit, si de bonis domini sui illi subveniat.

VIII. Ut vero constituamus an Melchior, qui nunc aliqua bona possidet, ad restitutionem teneatur; præponimus, ex justitiæ violatione restitutionis debitum exoriri. Hoc posito, en minor propositio clara, clarissimum quoque consequens: Atqui Melchior in secunda parte justitiam non violavit; ergo nequidem ad restitutionem est adstringendus. Pariter contra justitiam delinquitur id accipiendo, ad quod nullum jus extat: atqui Melchior in prima parte distinctionis jus nullum habuit ad pauperrimam familiam ex bonis sui domini sublevandam, cum posset hoc ære proprio agere; ergo contra justitiam deliquit; ergo ad restitutionem peragendam est obligandus. Ad tramites igitur expositæ doctrinæ onus erit Confessarii Melchiorem instruendi, ut conscientiæ illius indemnitati consulere valeat.

Disquisitio Nona.

Palinurus nauta decem abhinc Annis a Pirata comprehensus in Affricam ductus est, ibique venditus fuit. Captivitatis suæ pertæsus, cœpit a Domino suo clam nummos minutatim surripere, quod prosecutus est usque dum confecit summam sibi necessariam, qua sese a captivitate redemit. Nunc in italiam redux.

Quæritur: An id sibi licuerit?

RESOLUTIO

I. SI quod est enim aliud malum, quod magis hominem infelicem reddat, atque angustiis, et pressuris obnoxium, profecto captivitas apud infideles, et barbaros primas tenet. Majorem insuper, atrocioremque injuriam, si morte excipias, alicui injuste illatam difficulter nimis invenies, quæ æquiparari possit cum captivitate, utpote quia hominis libertas auferatur sibi ab ipso natuturæ Auctore donata, quæ inter bona summi generis locum tenet. Quare nonne ipsa lex naturæ dictat, suadetque, ut malum tam grande procul a se amandetur, et nihil intentatum relinquatur, ut res e voto cædat, ut habetur in votis? Porro Palinuro nulla alia suppetit via ad suam redemptionem, nisi eam surripere pecuniæ quantitatem, quæ ei est necessaria ad sese liberandum ab hoc tam grandi malo homini libero prorsus

indigno. Quapropter superioribus innixi doctrinis dicimus, ipsum non illicite summam surripuisse suæ redemptioni necessariam.

II. Et re quidem vera: si quis aliquam emit rem, statim ac agnoscit ipsam esse furtivam, proculdubio possessor evenit malæ fidei, et tenetur illam suo domino restituere; quia res semper clamat ad dominum. At in casu forsan ne emptor ignorat Palinurum injuste a Pirata fuisse comprehensum? Minime ædepol. Ergo quamvis solverit pecuniam, injuste tamen Palinurum retinet, et est malæ fidei possessor. Quapropter cum nullam aliam habeat viam, fas est Palinuro uti compensatione ad suum denuo acquirendum dominium supra propriam libertatem. Sed talis compensatio ab ipso effici non potest, nisi surripiendo a suo domino nummos ad se e captivitate redimendum necessarios; ergo licite præfatam summam surripuit.

III. Neque ullum negotium facessit furtum, quod in casu locum habere videtur. Etenim si res penitius introspiciatur, omnem furti noxam longe abesse quisquis vel invitus fatebitur. Ad furti notionem oculos tantisper convertamus nostros. Ut revera in aliqua rerum ablatione furtum interveniat, ut sit dominus rationabiliter invitus, fas omnino est, ac requiritur. Quis autem eo dementiæ devenerit, ut credat, hoc in casu, dominum esse rationabiliter invitum? Nonne ipse naturæ leges infringit, proculcat, pessumdatque penitus? Per summum nefas contra jura o-

mnia

mnia Palinurus in captivitatem redactus est, et retinetur. Cur ergo ob sese redimendum ab injusta vexatione ista, illam pecuniæ quantitatem, quantum ei sat est, surripere non poterit? Conferatur, si lubet, libertas cum rebus temporalibus; nonne istæ inferioris sunt ordinis, et imum obtinent locum? Illi ergo cedant ista; et irrationabiliter impediret dominus, et invitus foret. Eo vel maxime quod pecuniam illam, quam occulte surripit ad sese redimendum, non sibi appropriat, non expendit, non dispergit, in alios usus non distrahit; sed domino suo iterum reddit, eique quod abstulit in integrum restituit, atque adamussim: ergo non furatur Palinurus, si tantum surripit, quantum ei necessarium est, ut se ex sua captivitate tandem eripiat.

Disquisitio Decima.

Sergius Concionator celeberrimus in Concionibus suis verborum delectum, elegantiæ flores, et argumentorum sublimitatem adeo prosequitur, ut dumtaxat a viris eruditis intelligatur. Philippus Confessarius eumdem obsolvere recusat, nisi stilum mutet, annuntietque Jesum Christum Crucifixum, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, *contendens Sergium ita concionantem gravissimi furti reum esse, et ad restitutionem teneri omnium emolumentorum, quæ ex suis Concionibus percepit.*

Quæritur: An recte?

RE-

RESOLUTIO.

I. VErbi divini prædicationem christiano populo maxime necessariam esse ad vitam recte, sancteque instituendam, adeo compertum est, atque exploratum, ut a nullo revocari possit in dubium. Cum enim id sit animæ Verbum Dei, quod est corpori cibus; sicut sine cibo non potest sanitas corporis salva consistere, ita sine Dei Verbo salutem animæ periclitari necesse est. Concionatores quapropter pro Deo in summo animarum negotio legatione funguntur. Hinc Concionatorum est Deum annunciare, virtutes docere, peccata evitanda fortiter suggerere, pœnitentiam amplexandam insinuare, mandata Dei, et Ecclesiæ præcepta custodienda commendare, rebelles hominum voluntates suavi declamatione ad Deum impellere, æternitatemque prædicare. Hæc autem omnia minime adimpleri prædicando Verbum fucis illitum, et doctas humanæ sapientiæ fabulas redolens, quod aures prurit, corda vero non pungit, Scriptura docet, Patres animadvertunt, Ecclesia insinuat, et experientia suadet. Ut unusquisque Concionatorum igitur tanti muneris partes sedulo adimplere non omittat, debet prædicare Verbum sanum, hoc est, Jesum Christum, et hunc crucifixum, annunciando populo suo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum in puritate, et simplicitate sermonis; adeout valeat de seipso asserere cum Paulo Prædicatore veritatis in universo Mundo 1. ad Corinth. *Cap.* 2.

Sermo meus, et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ Sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis.

II. Male quapropter se gerere Sergium sic concionando, prout in casu, concludendum est; quia, ut inquit D. Gregorius Nazianzenus *Orat. 36. Sermonis ornatus, et elegantia Crucis evacuatio existit*; quia suis concionibus efficit, ut illud Jeremiæ verificetur: *Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis*; quia tandem adulterat Verbum Dei, incassumque reddit apud plerosque ex suis auditoribus finem illum, ob quem instituta est prædicatio; nempe, ad animarum salutem, et peccatores e vitiorum cœno ad viam virtutis revocandos. Quamobrem merito Philippus Confessarius illum objurgavit, admonuitque, ut stilum mutaret; secus fore illi denegaturum absolutionem. At motiva a se allata, scilicet, quia furti reus est, et ideo omnium emolumentorum restitutioni obstrictus, sunt sane insubsistentia.

III. Emolumenta quidem inde percepta restituere, ni me fallat animus, non tenetur. Siquidem emolumenta, quæSergius de suis concionibus percipit, ei propriè non dantur propter Conciones, quia utpote res spiritualis pretium temporale non exigit, nec dari potest; sed propter laborem, qui necessario inde nascitur. Si igitur emolumentum non propter officium datur, sed propter laborem, cur ad restitutionem adigendus erit, si rectè muneri non fungatur suo? Quoties

sic

sic concionando labor de medio tolleretur, ad restitutionem cogendus foret, utpote emolumentum injusté perceptum. Ast quis est, quem fugiat Conciones sic habitas majori indigere labore, majorique industria, atque eruditione? Cur ergo de suo labore fraudandus erit? Quia forsan Evangelium annunciat phaleratis, fugatisque verbis curiositatem potius, quam morum emendationem insinuantibus, qua præcipue de caussa, et fine Conciones habentur ad Populum? Ast ex hoc infertur tantummodo eum muneri suo perfectè non fungi, et gravis culpæ reum evadere apud Deum; non autem quod emolumentum restituere teneatur, cum istud non propter prædicationem, sed propter laborem præstetur. Hinc concludendum Philippum Confessarium improbandum non esse, si minetur Concionatori Sergio absolutionem denegaturum in casu, quo stilum nolit mutare, quia præfato stilo Christi, Ecclesiæque defraudat intentionem, totque Ovibus pabulum divini Verbi provide non subministrat, ut decet, suumque exposcit ministerium; fore vero improbandum, dum Sergium obligat ad emolumenti restitutionem; quia hoc non pro Apóstolico ministerio, sed pro materiali labore percepit.

Disquisitio Undecima.

Flavius infirmus ex imperitia, & negligentia Hermogenis medici mortuus est; quod quidem aliis infirmis plerumque evenire solet. Hinc Antonius Con-

Confessarius Hermogenem non vult absolvere, nisi antea reddat emolumenta recepta, damna restauret ex morte Flavii, aliorumque illata, et dimittat Medici Officium, quousque medicam artem calleat.

Quæritur de singulis Iudicium?

RESOLUTIO.

I. EA omnia, quæ alicui ex officio demandantur, et ipse lubenti animo, inito quasi contractu, tali se subjicit oneri, tanta solertia, tantaque diligentia sunt exequenda, ut a læthali culpa minime censeatur immunis, si desidiose, et oscitanter muneri suo navet operam. Quinimò si ex hac socordia grave inferatur proximo damnum, justitiæ commutativæ jura infringit, et per consequens damna omnia, quæ inde enascuntur resarcire debet, atque tenetur.

II. Inutiliter tempus tererem, si rationes hinc inde collectas in medium adducere vellem ad probandum, teneri ad restitutionem, qui justitiam lædit commutativam. Hæc enim assertio tam clara est, atque perspicua, ut cæcutiat penitus fas sit, qui vellet eam ire inficias. Quare tunc quis censetur restitutioni obnoxius, quando commutativæ justitiæ jura pessumdat, atque proterit. Hinc periti Confessarii inquisitio eo collimanda est, antequam ad restitutionem adstringat, ut diligenter perpendat, num lædatur justitia commutativa, et aliquod ei detrimentum eveniat, ne turpiter hallucinetur.

III. Et

III. Et quia ni aliqua interveniat culpa ab justitia commutativa læsiones, atque noxa procul amandantur, abs re non erit, si culpæ in propatulo ponantur, ex quibus justitia isthæc læditur, et per consequens obligatio enascitur restitutionis. Hæc autem duplex est theologica, et juridica. Prima est quodcumque peccatum sive mortale illud sit, sive veniale. Secunda vero est omissio illius diligentiæ, quam Homines solertes ejusdem status, et conditionis solent adhibere. Hæc autem triplex est, lata scilicet, levis, et levissima. Lata est omissio illius diligentiæ, atque circumspectionis, quam passim homines ejusdem conditionis adhibere solent: Qualis foret si quis aliquam rem sibi commodatam foris ante ostium relinqueret, qua de caussa res illa deperderetur. Secunda est omissio ejus diligentiæ, quam exercere consuescunt homines diligentiores illius conditionis; qualis esset, si rem sibi commodatam Domi quidem relinqueret, ostium tamen pervium cuique. Tertia tandem est omissio illius diligentiæ, qua homines solertissimi ejusdem status, et conditionis utuntur; qualis foret, si quis rem commodatam domi quidem relinqueret, clauso, obseratoque ostio, sed experiri manu omiserit, num revera ostium clausum fuerit, nec ne.

IV. Hæ sunt culpæ, quæ justitiam lædunt commutativam, adeoque et restitutionis pariunt obligationem. Non semper tamen, licet aliqua, vel omnes ex his adsint culparum, statim obligatio enascitur restitutionis; quia ut habetur *Cap.* 2.

de

de Constit. Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non debet. Hoc autem intelligendum est extra contractum, vel Officium, quia leges imponunt contrahentibus onus restituendi damnum secutum ex culpa juridica. Et qui contrahit onus illud tacite in se suscipit, cum debeat contrahere secundum leges. Et licet damnum inde exortum inculpatum sit, adeout Dominus ex hoc non sit rationabiliter invitus, tamen indemnitas ei debetur ex pacto, seu contractu implicito, seu explicito.

V. Hinc vero non videtur adigendus Hermogenes ad restituenda emolumenta, quæ ex suo officio ei solvuntur. Etenim emolumentum illud ideo solvitur, quia non parum laboris, et incommodi in tali exercenda arte intervenit; adeoquè justè ei debetur, cum omnis labor exigat, ut ei justa præstetur compensatio. Et licet solutio ista respiciat etiam, ut medicus recte suo fungatur munere, nihilominus labor, et incommoda primum locum tenent, et hac de caussa præcipue tribuitur. Alias duplici pœna pro duplici delicto foret mulctandus. Siquidem et emolumentum restituere deberet, et damna ex negligentia, et ex sua ignorantia secuta resarcire teneretur. Negligentia, et ignorantia laborat? Per has ergo dignas luat pœnas, et damna reparet omnia. Labores, et incommoda, quæ huic officio sunt inseparabilia experitur, et sentit, etsi negligens sit, et imperitus; cur ergo ex hoc etiam capite in ipsum est animadvertendum?

VI. Quod

VI. Quod vero ad damna omnia teneatur, quæ ex sua imperitia, et negligentia obveniunt, tam clarum est, ut cæcutiat oporteat, qui vellet hoc ire inficias. Sive enim lex consulatur, sive ratio ipsa naturalis, nonne ambo eo collimant, atque dictant, ut damna omnia reparentur, quæ alicui obvenerunt ex aliorum culpa? *Si culpa tua*, habetur in *Cap ultim. de injur*; *datum est damnum, vel injuria irrogata ....; Aut hæc imperitia, et negligentia venerunt, jure super his satis facere te oportet*. Et juste quidem. Hermogenes enim statim ac munus hoc sibi assumpsit, implicito contractu sese obligavit ea omnia præstare, quæ homines diligentes ejusdem conditionis solent adhibere. Ergo ex justitia tenetur ea uti diligentia in suis actionibus, ea solertia, ut damnum omne avertatur a quolibet, ut ei nihil officiat; cum quisquis jus habeat, ne sibi damnum ullum inferatur ab eo, qui justa authoritate destitutus est, justaque caussa. Si autem hæc omnia negligat, et oscitanter, et imperite suo muneri det operam, consulto vult damnum illud, et per consequens merito ei imputatur, unde reparare tenetur. Iure quapropter Confessarius ei beneficium impertiri absolutionis detrectat, si tale officium missum non faciat, usque dum talis artis præcepta perfecte non calleat, quia in proxima versatur occasione peccandi ob periculum, cui exponitur damno afficiendi proximum.

Disqui-

Disquisitio Duodecima.

Philippus Sacerdos, qui pinguem habet Capellaniam, cui onus adnexum est auscultandi Confessiones singulis festis; ut hunc laborem aut declinet, aut minuat, aliquando sese ægrum fingit, aliquando Pœnitentes adeo impatienter, et rigide tractat, ut inabsolutos dimittat; atque ita fit, ut pauci apud ipsum confiteantur.

Quæritur: Num et ipse furti reus sit, et ad restitutionem teneatur?

RESOLUTIO.

I. NEminem certe fugit quemlibet Sacerdotem, ex D. Paulo 2. Corinth. *Cap. 6.* ex hominibus a Deo assumi, et pro hominibus constitui, ut in omnibus exhibeat semetipsum sicut Dei Ministrum in multa patientia, in laboribus, in suavitate, in charitate non ficta. Hinc idem Apostolus nunquam exhortari cessabat Sacerdotes, ne in vacuum gratiam Dei reciperent, et otiosum, sepultumque tenerent divinum ignem, quem Deus misit in mundum, et voluit, ut semper accenderetur. Ex Evangelii doctrina Sacerdotes sunt Operarii illi, quos Christus perenniter in vineam suam, quæ est Ecclesia, mittere solet, ut in ejus cultura spiritualem gerant sollicitudinem, easque facultates exerceant, quas a Spiritu Sancto receperunt. Parabola Servi illius, qui receptum talentum

tum abscondit, et otiosum servavit, quique proinde in tenebras exteriores, in æternam damnationem projectus fuit, evidentissime demonstrat ejus omissionem gravissimum fuisse scelus, quod Deus ignoscere noluit. At quodnam talentum excellentius, quam Sacerdotalis character, quo Sancti a Deo vocamur, a quo populorum animæ pendent, earumque salvatio, et sanctificatio? Sacerdotes enim, signanter Beneficiati, sunt in Ecclesia veluti Operarii in Vineam a Christo vocati mercede statuta non solum temporali, sed etiam in æterna Sede copiose rependenda. Sunt Ministri, et Servi fideles in Domo Dei, ac dispensatores Mysteriorum Dei, operum suorum et mercedem hac in vita, et coronam justitiæ in altera recepturi.

II. Ultra quamquod cum hujusmodi Capellani jus habeant percipiendi fructus, seu redditus ex bonis Capellaniæ, propter munus aliquod ecclesiasticum exercendum; perspicuum est, Ecclesiam inter, et Capellanum initum esse quemdam contractum ex innominatis, nempe, *do*, *ut facias*; quapropter non exequendo onus suæ Capellaniæ adnexum Philippus violat justitiam, ex qua violatione restitutionis debitum exoritur.

III. Hinc dicimus Philippum, qui desidiose, et oscitanter muneri suo navat operam, a læthali culpa immunem non esse, ac furti reum, restitutionique obnoxium pro rata suæ negligentiæ esse reputandum. Et re quidem vera: Pactis ex justitia standum esse jura omnia clamant. Cum igitur Philippus sit a Deo vocatus, et ab Ecclesia con-

constitutus inito pacto, quod fidelium animas adjuvet; dicendum est ipsum ad hoc ex justitia esse adstrictum. Hinc Theologus quidam celeberrimus de Sacerdotibus hac oscitantia infectis exclamat: *O quam infelices Sacerdotes illi, qui de grege non sunt solliciti, et qui ei in necessitatibus tum corporalibus, tum spiritualibus non subveniunt!* Infelices quidem hi, quia quotiescumque de bonis Ecclesiasticis comedunt, judicium sibi manducant: Sicut enim qui indigne manducat Corpus Christi, judicium sibi manducat: Unde inquiebat D. Bernardus in Dec. *Indignus lacte, et lana convincitur, si non pascit Oves: si non vigilat in custodia gregis judicium sibi manducat.* Quapropter hujusmodi Sacerdotes ex eodem Sancto ad extremum Dei judicium tremebundi accedent, ut ultimam condemnationis sententiam audiant: *Venient ante tribunal Christi: Audietur populorum querela gravis: Accusatio dura eorum, quorum vixere stipendiis, nec diluere peccata, et eorum, quorum facti sunt Duces cæci fraudulenti mediatores.*

IV. Ultraquamquod ex hac Philippi socordia damnum quidem Fidelibus infertur, ita ut commode proprias animas a reatibus per Sacramentalem absolutionem solvere non valeant; justitiæ igitur commutativæ jura infringit, ac suæ Capellaniæ stipendium pro rata injuste recipit. Si culpæ enim juridicæ in cæteris contractibus temporalibus sunt considerandæ; *Disquis. XI. n. 3.*; quanto magis in casu nostro, in quo agitur de damno spirituali? Neminem fugit omissionis gravitatem dimetiri ex ma-

magnitudine bonorum, quæ ex ignavia prætermittuntur. Bona, quæ ex Sacramenti Pænitentiæ administratione gignuntur sunt omnium maxima: Ergo hujus Sacramenti administrationis omissio est omnium gravissima. Cum igitur Philippus tam negligenter, ac oscitanter hujus Sacramenti administrationi det operam, servata suæ negligentiæ proportione ad restitutionem tenetur.

Disquisitio Tertiadecima.

Fulvius inhonestam, et impudicam Imaginem in tela a celeberrimo Pictore depictam furatus est ab Apulejo. Philippus Confessarius ipsum non modo non reprehendit, quinimo summopere laudat, volens hujusmodi ablationem non furtum esse, sed opus meritorium; non teneri proinde ad restitutionem, sed ad eam illico comburendam; quod sane factum est. Hinc evenit, quod non modo Apulejus grave damnum subierit, verum quoque ejus famulus, qui in suspicionem hujus furti illapsus est, in carcerem detrusus fuerit, atque teneatur.

Quæritur: Quid de jure stabiliendum?

RESOLUTIO.

I. Quamvis impudica Simulacra, ac Imagines inhoneste depictas nemo absque culpa retinere valeat ob vividiores impressiones, quas nostris in oculis excitant magis, quam ipsamet objecta rea-

realia, ut in sextum Dec. Præceptum *Disquis. III. n.* 2. demonstravimus; Nihilotamen secius Dominum super ipsas jus habere, nemo in dubium quit revocare; de quo jure sine injustitia privata Persona non potest profecto expoliare. Unde obscenæ imagines, aut delendæ omnino sunt, aut ad honestatem reconcinnandæ; verum est. At per hoc Dominus suum jus super ipsas non amittit; quia quamvis obscenæ, ad modestiæ tamen regulas semper possunt accomodari, et semper sunt pretio æstimabiles. Hinc Fulvius in casu ab Apulejo inhonestam imaginem auferendo, privat ipsum suo jure, ac impotentem reddit ad illam honeste reconcinnandam; necnon in illo æstimabili pretio damnificat. Igitur Philippus Confessarius excessu simplicitatis suæ ducitur ad furtum istud laudibus extollendum, et veluti opus meritorium dignoscendum. Unde quæritur quid jure stabiliendum?

II. Circa quod est inconcussum apud Theologos, quod quando Confessarius bona fide, scilicet, vel sine ulla culpa, vel cum culpa levi positive deobligavit Pœnitentem a restitutione, ad quam certo tenebatur, debeat etiam cum suo incommodo Pænitentem de errore admonere; alioquin incipiet jam illi imputari ignorantia Pœnitentis: Nam unusquisque tenetur, inquit de Lugo *Disp.* 22. *de Pænit. n.* 62. ex justitia non solum ad non inferendum directe, et ex industria malum proximo, sed etiam ad procurandum, quantum commode possit, ne ex sua actione proveniat

pro-

proximo damnum contra jus illius. Caussa exempli: Si quis inadvertenter accendit domum alienam, tenetur cum primum advertit ex justitia ignem extinguere; quia licet actio illa fuerit inculpabilis, fuit tamen sua, et tenetur procurare, ne ex sua actione proximus patiatur aliquod detrimentum in rebus suis. Ita si quis bona fide infamavit aliquem putans esse verum crimen, quod de illo audierat, debet postea, cognito errore, reparare illius famam, et extinguere incendium famæ, quod inculpabiliter accenderat: Sic ergo, concludit idem Auctor, Confessasius, licet bona fide consuluerit retentionem rei alienæ, debet cognito errore revocare, quod dixit, et manifestare Pœnitenti obligationem, quam habet.

III. Ex hac doctrina, quæ ex papyro in chartam transcripsi, veluti sua sponte fluit hujus Casus resolutio, nempe: Confessarium teneri palinodiam opportuna prudentia canere, manifestando Pœnitenti suam obligationem; ac certiorem reddere Apulejum de sui famuli innocentia, dummodo tamen a Pœnitente habuerit permissum.

Disquisitio Quartadecima.

Nicephorum Villicum paucis abhinc annis Severus conduxit ad suum prædium excolendum, adjectis pluribus oneribus, quibus Nicephorus consensit, quia secus conductionem non obtinuisset. Eadem autem injusta arbitratur, et ideo nonnulla ad Dominum spectantia surripit in compensationem.

Quae-

Quæritur: An absque peccato id possit?

Opus quoddam construendum erat ad bonum publicum spectans. In concursu plurimorum, qui eidem operi præfici urgebant, Trajanus operarius, qui maxima egestate premebatur, præferri enixus est. Quod assecutus fuit, minus cæteris pretium exposcens. At in operis structura conspicit expostulatam pecuniæ summam nimis imparem esse, quare compensationem sibi licere arbitratur.

Quæritur: An revera ita sit?

RESOLUTIO.

I. HOrum duorum conscientiæ Casuum solutionem nitidissime nobis exhibent Evangelium, Romanorum Pontificum Decreta, et naturalis Ethicæ argumenta; ideo prætermissa quacumque verborum copia, atque apparatu, acu, ut dici solet, rem totam contingemus, si hæc tria dumtaxat nostræ mentis oculis breviter prosequamur.

II. In Evangelio secundum Mathæum *Cap.* 20. celebris illa describitur Parabola, qua refertur Patrem familias summo mane Operarios quosdam conventione facta ad vineam suam excolendam conduxisse, ac subinde hora tertia, sexta, nona, atque undecima alios, atque alios vocasse, et eidem Opificio peragendo præfecisse. *Sero autem facto*, ita legimus, *dixit Pater familias Procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos*: Et

cum singulos pares fecerit ex denario diurno, murmurare cæperunt adversus Patrem familias, dicentes: *Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, et æstus?* At ille respondens uni eorum dixit: *Amice non facio tibi injuriam: Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle, quod tuum est, et vade.*

III. Ex hac brevi, atque luculentissima Evangelici Patris familias responsione nitidissime edocemur, quod ubi libera interfuerit conventio, seu pactum, nequaquam attendi debeant Operariorum querimoniæ, qui dolent statutum pretium eorum operi consonum non esse, et ideo compensationi locum patefieri. Cum expositis Casibus adamussim quadrat Evangelii parabola. Ad prædium opere suo excolendum, necnon adjectis oneribus Nicephorus in primo casu libere consensit: Et in casu secundo libere quoque Trajanus minus pretium expostulavit, quomodo in Evangelii Parabola. Primi Operarii de denario pro totius diei opere libere convenerunt: Ergo sicuti hisce Operariis Evangelicus Pater familias jure, meritoque respondit; *Nonne de denario convenisti mecum?* Ita quoque et Nicephoro, et Trajano dicendum est: Scilicet: Nonne de adjectis oneribus, atque de minori pretio convenistis? Tollite igitur, ut cum Evangelio loqui prosequar, quod vestrum est, et vadite.

IV. Ex Evangelio ad anathema gradum faciamus, quo Innocentius XI. Propositionem 37. confixit. Propositio hisce verbis exprimitur: *Famu-*

li,

...i, et Famulæ possunt occulte Heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. Non licet itaque nec Famulis, nec Famulabus post salarium libere stabilitum aliquid in compensationem exquirere, quamvis operam suam statuto salario pretiosiorem arbitrentur: Atqui Nicephorus Villicus, et Trajanus operarius respectu Dominorum suorum veluti famuli haberi debent; Ergo non licet ipsis aliquid in compensationem surripere, quamvis operam suam statuto pretio majorem esse conspiciant.

V. Denique naturale rationis lumen germanis veræ Ethicæ principiis fulcitum assertionem hanc validissime confirmat. Pactis libere statutis standum est. Ita celebre axioma docet, quo nihil in tota societate sacrosanctius. Humana quippe societas penitus exterminaretur, si fas esset huic principio valedicere: Atqui Nicephorus, et Trajanus ex pacto libere statuto operam suam pro dato pretio promiserunt; Ergo pacto stare debent, et ultra statutum pretium nihil abque culpa efflagitare queunt.

VI. Hæc est clara, atque nitida expositorum Casuum solutio, adeo ut admiratione dignum videatur fuisse nonnullos, et fortassis esse, qui propositionem hanc tam expresse Evangelio, Romani Pontificis Sanctioni, et germanæ Ethicæ innixam in dubium revocare, atque etiam oppositam non modo speculative, sed quoque practice defensare soleant. Hominum ex fervida potius imagina-

ginatione, quam ex solidis principiis opinantium, argumenta in medium adducere perridiculum fortassis videri posset; verum sacram, accuratamque morum doctrinam explicare, atque tueri profitentes, pigere non debet, ut Paulus admonet, eos, qui quocumque modo contradicunt, opportune, et importune arguere, atque increpare.

VII. Hosce itaque audiamus. Inquiunt primo latissimum esse discrimen inter evangelicos supra laudatos Operarios, et Nicephorum nostrum, atque Trajanum. Operarii illi denarium singuli receperunt, qui congruum erat pretium pro opere unius diei; Cum ex uno denario tunc temporis Villicus unus in diem vivere poterat. At nec Nicephorus, nec Trajanus congruum operibus suis pretium recipiunt, neque ex eo pretio vivere queunt. Nulla itaque, concludunt, comparatio esse potest inter Operarios illos, et Nicephorum, atque Trajanum.

VIII, Verum qui ita argumentantur Scripturæ sensum, aut malitiose, aut inscite eludere videntur. Evangelii Paterfamilias increpavit Operarios illos, non ob eam, quam sibi fingunt adversarii rationem: Scilicet non dixit: Amice non facio tibi injuriam, quia denarius unus ex consuetudine est congruum diurni operis pretium; et ex uno denario commode per integrum diem vivere potes. Ratio hæc a Scriptura reticetur, et gratis ab adversariis fingitur: Sed Paterfamilias aperte dixit: *Non facio tibi injuriam, quia ex denario convenisti mecum*. Igitur ubi datur conventio, excluditur

ditur quælibet injuria. At ubi nulla facta est injuria, nullus patet compensationi locus; ergo ubi datur conventio, non amplius compensationi locus esse potest. Nicephorus quoque, et Trajanus ex conventione operam suam polliciti sunt; ergo sicuti Evangelii Operarii, ita quoque Nicephorus, et Trajanus aliquid ultra statutum pretium exflagitare nequeunt.

IX. Ajunt secundo loco: Propositionem ab Innocentio XI. damnatam solos famulos, et famulas respicere, juxta vulgatissimum axioma: Odia restringenda sunt. Igitur damnatio hujus Propositionis, quæ sane odiosa est, extendi, ampliarique non debet ad Villicos, et Artifices, qui vere famuli dici nequeunt.

X. Ut huic Objectioni satisfacere possemus, regulæ omnes recensendæ forent, quæ a Theologis de recta damnatorum Thesium explicatione præscribuntur: At brevitatis gratia pauca delibabimus: Nego itaque damnationem laudatæ Propositionis rem esse odiosam. Ea quippe favet omnibus Heris, et Dominis, quorum bona a famulorum, et famularum subreptionibus vigore laudatæ damnationis sarcta, tectaque servantur. Item ea damnatio non displicet famulis, et famulabus bonis, qui juxta Christianam doctrinam vitam suam instituunt. Igitur quibus odiosa est? Equidem solis furibus. At quis serio dixerit legem aliquam in gratiam furum, et latronum restringendam esse?

XI. Dico secundo. Propositionis materiam ab

ab Innocentio confixam non esse famulos, et famulas, sed minuta furta, quæ ex erronea conscientia ab hujusmodi hominibus committi solent. Unde talia furta non solum a famulis, verum quoque a qualibet alia Persona commissa sub eadem censura comprehensa intelliguntur. Res suapte natura manifesta est. Verum uberioris claritatis gratia do exemplum. Fingatur proscripta hæc Propositio, scilicet: Paulus non tenetur jejunare in die jejunii præcepti, si in eo die iter unius milliarii confecerit. Quæro, an ea Propositio damnata dicenda sit pro solo Paulo, an pro omnibus, qui arbitrarentur iter unius milliarii a jejunio servando excusare? Quippe scimus omnes in Propositionibus damnatis non Personas, sed falsam doctrinam proscribi. Doctrina Propositionis ab Innocentio confixæ est hæc, scilicet: Licet aliquid surripere in compensationem, quando statutum salarium, aut pretium Operi congruum non conspicitur. Igitur ubicumque salarium, aut pretium libere stabilitum fuerit, non modo famulis, aut famulabus, verum quoque Villicis, Artificibus, aliisque Personis non licet aliquid sibi in compensationem usurpari.

XII. Objiciunt denique: Cujuslibet contractus natura, atque essentia in æqualitate sita est. Si æqualitatem tollas, Contractus necessario subvertitur, atque irritatur. Contractus itaque a Nicephoro institutus, et a Trajano initus pretii æqualitatem exposcunt. Atqui onera Nicephoro adjecta, et Opificium a Trajano perficiendum superant

ex

ex hypothesi pretium hisce operibus appositum; Ergo contractus a Nicephoro, et Trajano institutus ex æqualitatis deficientia irritus evadit. Igitur ut contractus stet, potest Trajanus, et Nicephorus pretii æqualitatem exflagitare.

XIII. Hæc Objectio falso innititur principio, scilicet, falsum est cujuslibet Contractus naturam in æqualitate pretii collocandam esse. Hæc quippe æqualitas in sexcentis circumstantiis permutari potest. Circumstantiæ hujusmodi in præsenti casu ad duo capita reduci queunt, nempe, ad voluntatem contrahentium, et ad eorum multitudinem. Rem totam duobus exemplis colligemus. Cajus mercator pannum habet, cujus una mensura pretio unius aurei valet: Verumtamen vel quia nummis ad utiliora negotia peragenda indiget, vel quia emptores ad suam Officinam allicere cupit, illud vendit Titio minori admodum pretio, puta medietatis unius aurei. Sane Titius tuta conscientia pannum illud eo pretio sumere potest, et Cajus decursu temporis nequit æqualitatem pretii exflagitare. Etenim quilibet potest juri suo cedere. Cajus dimidium pretium sponte expostulavit; ergo juri suo cessit, et aliam pretii medietatem condonasse præsumitur. Libera itaque Contrahentium Voluntas potest absque injuria æqualitatem pretii imminuere. Emptorum nunc multitudinem consideremus. Idem Panni genus apud solum Cajum reperitur. Emptores autem milleni sunt, qui certatim pannum illud sumere volunt; et majus, atque majus pretium offe-

ferunt, ut eodem panno potiantur. Titius præ cæteris duplum pretium exhibuit, et pannum obtinuit. Quæro nunc, an prætium duplicatum jure Cajus excipere potuerit? Res responsione non indiget. Etenim intrinsecum cujuslibet rei pretium Emptorum multitudine augetur, sicuti multitudine Venditorum decrescit, atque imminuitur. Emptorum igitur, et Venditorum copia intrinseci pretii æqualitatem tollunt, quin contractus natura lædatur.

XIV. Ad rem nostram veniamus. Æqualitas pretii intrinsece exposci amplius nequit, si aut libera contrahentium voluntas minus pretium stabilivit; aut copiosa Concurrentium multitudo idem prætium imminuit. Atqui Nicephorus, et Trajanus libere minus pretium stabilierunt, et copiosa erat multitudo Concurrentium ad idem Opus prestandum; Ergo æqualitas pretii intrinseca non amplius a Nicephoro, et Trajano exposci potest.

XV. At inquies. Quilibet jus habet, ut ex arte sua vivere queat. Nicephorus, et Trajanus, si pactis stent, nequeunt absolute vivere: Ergo jure suo utuntur, dum sibi in compensationem surripiunt id, quod juxta suæ artis regulas requiritur ad vitam agendam. Sed sciscitor: Nicephorus, et Trajanus versantur ne in extrema necessitate? Si extrema necessitate laborant, fateor equidem posse sibi necessaria arripere ad vitam servandam ex naturali jure: At si in hac necessitate non sunt, jam hoc naturali jure frui nequeunt. Fateor quoque quemlibet jus habere, ut

ex

ex arte sua vivat, si tamen huic Juri libere non valedixerit: At in hypothesi Nicephorus noster, et Trajanus huic juri cesserunt: Ergo non amplius jus hoc habent, quo ex arte sua vivant. Nulla itaque methodo licet aut Nicephoro, aut Trajano compensationem sibi adhibere.

Disquisitio Quintadecima.

Mercatores in negotiatione Bovina pecunia indigentes Navarrum adeunt, ipsumque hortantur, ut erigat Bancum pecuniæ, a quo possint accipere summas pro dicta mercatura cum aliquo lucro in sui favorem in unaquaque negotiatione, quæ de quindecim ad quindecim dies completur. Navarrus paratum se præbet cum lucro unius scutati pro quolibet centenario in singulos quindecim dies. Et de facto dat illis summas hac methodo: si petunt centum ad quindecim dies, dat nonaginta novem, si ad mensem nonaginta octo, et sic de singulis: Vel si dat centum, tunc convenit pro uno, et centum, pro centum duobus &c. Statim vero Scriptura efformatur, in qua nihil dicitur de negotiatione, nihil de lucro tali modo retento: sed sola apparet Debitoris obligatio, qui tamquam si integra centum, vel centum unum recepisset, strictis, et rigorosis clausulis se teneri dicit ad integram solutionem in termino præfixo; Et facta solemni renunciatione omnibus, et quibuscumque exceptionibus, consentit in executivo mandato absque ulla prævia citatione; obligatque se, bona sua, hæredes, et hæ-

hæredum bona in amplissima forma R. Cameræ Apostolicæ.

Quæritur: Quid jure circa hoc stabiliendum?

RESOLUTIO.

I. QUibusdam Nostris in Regionibus fit negotiatio quædam super Bestiis Bovinis, quæ per loca, et Mercatus emuntur, et inde Romam, aut Florentiam trajectæ ad lucrum venduntur Lanionibus. Incipit hæc negotiatio a die prima Novembris, et usque ad Paschatem Resurrectionis solet quolibet anno perdurare: Sed cum infra quindecim ad summum dies emptio, et venditio compleantur, ita non una, sed tot per annum negociationes fieri dicuntur, quot emptiones, et venditiones, infra dictum terminum perficiuntur. Lucrum vero, quod ex hac mercatura percipitur, licet non exiguum forsitan esse valeat, incertum tamen est prorsus, cum modo plus, modo minus, modo nullum, imo non raro damnum promanet: Ideo non ab una, sed a tota simul negotiatione commensurari opus esset, ut ejusdem quantitate lucri probabiliter certi, vel certo sperari in singulis negotiationibus prudens ferretur judicium. At illud est hac in re observatione dignum; quod cum non omnes Negotiatores æquali polleant idoneitate ad peragendum negotium, non omnes utique æquale lucrum exhauriunt, adeout alii meliorem, alii vero deteriorem sortis suæ con-

conditionem facere dignoscantur . Ex quo colligere necesse est, nullam ex hac parte regulam inveniri, qua iuste dimetiri quis possit lucrum speratum de uno ad alios futuros annos, et respectu omnium mercatorum collective.

II. Id porro, quod ad hanc lucri dimensionem saniorem regulam exhibere potest, in caussa est mos ille Lanionum Urbis emptorum, qui paciscentes cum mercatoribus de pretio certo, quod dicunt, *Emere ad lixtam*, quodque inter fidos plerumque fit, et ad annos usque pertrahitur, se obligant, et defacto solvunt pro quolibet jugo Bovum septem scutata supra pretium emptionis; quinque scilicet pro cunctis expensis itineris, vectigalium, et trajectionis, duo autem pro lucro industriæ, laboris, periculi, et collationis pecuniæ in negotio, quæ ad onus mercatorum spectant. Ex quo consequitur, quod lucrum certum unicuique centenario respondens, ad duo, vel etiam ad tria scutata extendi posset, si duo, vel tres numero Boves scutatis centum valerent.

IV. Posita autem hac regula, qua nihil certius dari potest, ut acu quæstionem in præfato casu exhibitam contingamus, sit hypthesis, quod inter mercatores effecta sit Societas in hujuscemodi negotio, in qua unus industriam, alter pecuniam conferat, et uterque pro æquali parte lucretur; major spes certa lucri non habetur in casu, quam trium Scutorum pro centenario in unaquaque negotiatione, quæ infra quindecim dies completur, et sic pro parte utriusque socii scutum

tum unum cum dimidio fas erit adscribi; quia societatis indoles, et natura est, ut æqua sit partitio lucri inter duos, aut plures, qui suam in aliqua negociatione pecuniam, aut operam collocarunt, sicuti æqua sit periculi, ac damni partitio necesse est, uti habetur *L.* 29. *Et seq. ff. pro. Socio.*

V. Ut autem ista servetur æqualitas, proportio relate ad pericula Conferentis pecuniam, et relate ad labores, incommoda, et pericula Conferentis industriam, est maximopere attendenda; ita sane, ut si huic majora, illi minora, vel econtra existant, majus lucrum uni socio, quam alteri proportionabiliter sit adscribendum; Secus justitia commutativa læderetur, et societas iniqua evaderet. Quod autem hac in negotiatione longe pluris æstimanda sint incommoda conferentis industriam, quam conferentis pecuniam, sat est animadvertere, quod negociator per quindecim circiter continuos dies somnum ab oculis excutiendo, diu, noctuque æstu uret, et gelu, remque suam, sanitatem, vitam, equos, famulosque nedum fortuitis, sed ordinariis, certisque periculis longi itineris, fluviorum, tempestatum, insalubritatis aeris exponit: Econtra vero pecunia conferentis nulli plerumque videtur subesse periculo, casibusque fortuitis ita raro, ut vix per totum sæculi cursum unus, vel alter queat enumerari.

VI. Hinc fluit jam Navarri contractum iniquum esse. Et sane in hujus contractus genere omnia

æqua-

æqualia esse debent inter socios, nempe periculum, damnum, lucrum: Atqui ex prænarratis ista non sunt æqualia Navarrum inter, et Negotiatores; Ergo iste contractus funditus evertitur.

VII. Navarri fautores opponunt damnum, quod ipsi ex suæ pecuniæ privatione solet obvenire. At inepte quidem; quia ab actu solutionis ad actum recuperationis tam breve temporis spatium intercedit, ut nullum quidem damnum emergens possit obtingere. In hac enim negotiatione Mercatores in prima Hebdomada emunt, et ad finem hebdomadæ solvunt; Ex quo fit, ut circa finem alterius hebdomadæ pecuniam restituant. Quis igitur sanæ mentis quit asserere, quod per privationem pecuniæ octo dierum in unaquaque negotiatione ab actu solutionis ad actum recuperationis intercedentium, non possit pecuniam Conferens cuicumque damno infra dies octo emergenti esse præsens cum tali pecunia ad reparandum?

VIII. Navarrus in suo trino contractu confidit. Ideo, inquit, Societatem inivi cum Mercatoribus, ut ego pecuniam, illi industriam ponerent: At timens, ne hac in societate aliquam pecuniæ datæ jacturam facerem, alterum absolvi contractum, quo Negotiatoribus remisi, et condonavi portionem lucri hac lege, ut mihi semper sarcta, tectaque sit mea pecunia. Quinimo nondum mihi res satis provisa visa fuit; Quapropter tertium inivi contractum, quo aliam negotiatoribus concessi lucri portionem; qua de caussa Negotiatores spondent sese mihi pro qualibet nego-

tia

tiatione unum tantum scutum pro centerario sive secunda, sive adversa negociationis fortuna sit. Quomodo igitur sit illicitum, ignoro.

IX. Verum est Martinum Navarrum putasse tres prædictos Contractus simul, et cum eadem persona tuta conscientia iniri posse, ut habetur in suo Manuali *Cap.* 17. n. 254.. Ob quam caussam memoria Patrum nostrorum magna animorum contentione inter ipsum, et Dominicum Sotum, qui ex adverso hunc trinum contractum veluti mutuum fæneratitium agnoscebat, disputatum fuit. At delata controversia ad Sixtum V. Summum Pontificem, ipse peculiari Constitutione, quæ incipit. *Detestabilis avaritiæ*, fænoris damnavit pactum societati adjunctum, per quod alter ex sociis duplici ex parte securus redditur. Verum pariter est, plures deinde insurrexisse ex Theologorum, et Canonistarum Familiis, qui trinum hunc contractum recte iniri posse defendunt, asserendo Cardinales Toletum, et S. Severinæ, qui jussu Pontificis Constitutionem exararunt, testatos fuisse, Sixtum V. voluisse solummodo pactiones damnare, quæ iniquæ erant, et quæ usuras continebant, non vero eas, quæ omni usuræ vitio carebant. At quis unquam sibi persuadebit Sixtum V. edendo Constitutionem, ut controversiam dirimeret, quæ inter Sotum, et Navarrum fervebat, hanc quæstionem in medio relinquere voluisse? Quomodocumque hoc sit, parum refert. Sat nobis erit non ignorare eosdem Theologos, qui trinum contractum defendunt,

ita

ita meticulose docere istam opinionem, ut de eo contractu ad populum loqui non admittant, atque illum nemini unquam consulendum, sed ab eo prorsus abstinendum exoptant, eo ferme quia, vel periculosum, vel palliativum usuræ agnoscunt, vel vim mutui, et usuræ speciem præseferre judicant. Ita Joannes Major, Navarrus ipse, Azorius, Lessius, Valentia, et quotquot fuerunt hujusmodi Contractus Defensores. Sat erit quoque, quod Facultas Parisiensis anno 1665. damnaverit hanc Propositionem: *Si contractui Societatis adjungatur contractus assecurationis capitalis, ac venditionis lucri incerti pro certo virtute trium horum contractuum, licitum est exigere lucrum certum cum assecuratione capitalis*. Sat denique erit id, quod Benedictus XIV. De Synodo Diæc. *lib.* 10. *Cap.* 7. omnibus insinuat Episcopis: *Ad usum vero quod attinet, tuto poterit contractum trinum, quem etiam ejusdem Patroni periculosum fatentur, pro viribus impedire, atque ab eo ineundo suos subditos dehortari*.

X. Igitur Navarrus suum nequit exercere contractum. Siquidem contractus ille non est exercendus, qui est plenus periculi, neque caret usuræ suspicione: Atqui ex ipsis hujus contractus defensoribus iste est talis; ergo sine usuræ labe a Navarro iniri non potest.

XI. Quinimo si in exposito Casu rem intimius prospiciamus, fatendum erit, quod etsi trinus admitteretur contractus, ipsum vero non posse subsistere, sed esse merum figmentum ad obte-

tegendam usuram. Et re quidem vera: Multæ sunt conditiones, quæ ad essentiam, et justitiam trini contractus statuuntur a Doctoribus illum tuentibus: Sed pro breviori declaratione reducimus ad duo illa principia, æquitatis nempe, et veritatis, quæ veluti cardines ad fulciendam justitiam in unoquoque contractu requiruntur, quarum una si desit, vel contractus subsistere nequit, vel est iniquus. Quantum autem attinet ad primam conditionem, certum est, quod desit in præsenti Casu omnis æquitas; primo quidem propter inæqualem, seu injustam divisionem lucri inter partes, quæ necessario consequitur ex excessiva, et injusta dimensione lucri in hac negotiatione sperati, ut supra dictum est n. IV. Hic autem addi potest, quod sicut ex diversitate temporum, ac diversitate hominum negotia gerentium majus, et minus lucrum resultat; ita non idem omni tempore, non idem cum omnibus negotiatoribus assecurandum est lucrum. Quemadmodum e converso factum apparet in præasserto trino contractu, in quo cum omnibus indiscriminatim negociatoribus, et cunctis annis semper est idem pro assecurato. Si enim hoc anno, seu cum his negotiatoribus lucrum majus computatur, e. g. Sex pro centenario, et assecurari unum pro lucro certo justum putaretur; idem pariter assecurari futuro anno, seu cum aliis mercatoribus, quo, vel cum quibus saltem notabiliter minus negociatio fructificat, injustam esse, quis dubitet? Ad hoc enim, ut ex hac parte justa quædam regula

gula dimetiendi lucri sumi possit, non ex anno magis lucroso, et utiliori negotiatione regula sumenda est, sed comparatione facta majoris, et minoris lucri de uno ad alium annum, de uno ad alium negotiatorem, via teneatur media. Si ergo ponamus pro via media in hac negotiatione lucrum datum a contrariis centum quinquaginta scutorum pro centerario, et anno; majus lucrum ad biscentum deberet ascendere, et minus lucrum ad centum: Sed ubinam gentium fortuna peperit adeo fæcundam negociationem, cujus fructus ad biscentum usque pro centum singulis annis ascendat? Proh Deus! Quantum deglutit inexplebilis divitiarum cupiditas.

XII. Secunda inæqualitas iniqua est, quando in assecuratione, prout in casu, una pars in omni periculo posita sit, altera vero a casibus etiam fortuitis exempta. Doctores enim, qui stant pro trino contractu, ita volunt assecurari posse capitale, et lucrum, ut assecuratus a fortuitis casibus non sit immunis, alias contractum efficeret prorsus iniquum: Atqui assecuratus noster per quamdam Scripturam talibus, et tot vinculatam clausulis, assecurantem ligat, ut si penitus per quoscumque fortuitos casus pecuniam, seu rem negotiationis amittat, modo aliis fortunæ bonis fruatur, ea stent pro assecurato; ergo Navarrus noster init contractum periniquum, ac detestabilem in sententia quoque illorum, qui trinum contractum defendunt.

XIII. Ad æquitatem in contractibus necessario requisitam it comes, semperque famulatur altera substantialis conditio, quæ est veritas; ad cujus tramites fieri, ordinarique debent contractus omnes, sine qua vel ruunt omnino, vel saltem injusti evadunt. Quatuor autem veluti requisita ad ipsam veritatem tuendam in trino contractu exigunt Theologi. Primo siquidem ad veritatem spectat, ut procedatur *pure*, *sincere*, *et bona fide ut decet*, hoc est, ingenue, et sine fraude, vel fictione. Secundo, ut vere fiat experimentum negociationis in societate, exactumque examen ad inveniendum quale, et quantum sit lucrum, quos et quantos labores, incomoda, et pericula Negociatorum, et quæ incomoda, et pericula conferentis pecuniam, ut inde fiat justa dimensio lucri; et proportionabiliter tribuatur cuique quantum justitia exigit. Tertio, ut pecunia detur expresse, et præcise ad unicum finem negociandi in societate, quia societas est basis justitiæ, a qua totus subsistit trinus contractus. Quarto tandem ut hi tres contractus non idealiter, non implicite, non unico actu concipiantur; sed realiter, expresse, distinctis actibus, ac successive unus post alium fiant, ipsa societate nedum præexistente, verum etiam perdurante in successivis contractibus assecurationis pecuniæ traditæ, et venditionis lucri sperati; per modum ut, si vellet fieri reditus ad nudam societatem negocii, assecuratus ipse, quemadmodum et assecurans, esse debeat undequaque contentus stando socie-

tati

tati incerto lucro, et periculis, æque ac de assecuratione facta contentus erat. En itaque quæ requisita in trino contractu omnino exigunt Theologi illum tuentes relate ad conditionem veritatis, quorum uno deficiente, vel amplius non est contractus, vel manifesta redolet iniquitate.

XIV. Atqui Navarri contractus deficit in omnibus hisce conditionibus. Quod quidem ita sit, jam contra primum veritatis requisitum opponitur fraus, qua non solum mercatores pecuniam recipientes, verum etiam Tribunalia externa abducuntur; cum unum dicat verbis, alterum exponat scriptis. Verbis enim dicit dare pecuniam ad lucrum, seu cum interesse; et facta conventione cum Mercatoribus de termino restituendi pecuniam, dat summas retento lucro: In Scriptura autem nihil dicit de titulo lucri, nihil de negotiatione, nihil de lucro retento, seu fructu pecuniæ negociandæ, nihil de præsumpta assecuratione in societate negocii, sed tanquam si pecunia esset mutuo data, transcribitur sola obligatio recipientis, qui dicit, et se constituit liquidum, et legitimum debitorem scutorum v. g. centum, quamvis non centum, sed nonagintanovem acceperit. Hæc enim Scriptura videtur exarata duplici intentione fallendi. Primo, ne usuræ turpitudo innotescat ad hoc, ut in criminali foro si deduceretur, nequeat legitime probari; quæque autem e contra, si ad formam verbalis contractus esset facta, deberet esse contra usurarium et accusatrix, et testis, facta vero hac forma sit fautrix, et favorabile te-

stimo-

stimonium. Secundo autem ita exaratur ad eludendum recipientem, ne in quocumque casu etiam fortuito se eximere possit a solutione vigore contractus societatis; cum secus teneatur vigore rigorosæ obligationis, quæ nec societatem, nec contractum trinum complectitur, prout aperte constat ex toto prædictæ Scripturæ contextu.

XV. At si primum veritatis requisitum de medio sublatum esse probavimus, cætera etiam minime adesse eo ipso dignoscitur, quo hac in negociatione opponitur defectus societatis, quæ nec fuit, nec est inter dantem, et recipientes pecuniam; et qua non facta, nec perdurante, tota corruit præsumpta assecuratio. Nostrum enim assecuratum nullam habuisse societatem in negotio cum Mercatoribus, ipsemet casus exponit: quinimo nequidem assignari potest successivitas actuum, ac distinctus, et expressus Contrahentium consensus, quibus realiter dicantur successivi duo, ac distincti contractus, assecurationis nempe pecuniæ traditæ, et venditionis lucri sperati, cum ex Scriptura facile constet hanc pecuniæ negotiationem non esse aliter factam, nec fieri, quam unica actione, unicoque contractu.

XVI. Quoniam igitur res ita se habeat, ut nec in substantia, nec in suis circumstantiis isthæc pecuniæ negotiatio justificari valeat ad formam pretensi contractus trini, sed potius omnibus justitiæ, et veritatis conditionibus proculcatis, ut vidimus; justus desit titulus lucrum quæritandi ex pecunia; quid aliud est quæso præ-

præasserta assecuratio, nisi quoddam figmentum ad obtegendam usuram, quæ ex vero mutuo, in quod resolvitur talis contractus, percipitur; usuram inquam adeo exorbitantem, et iniquam, ut neque ex alio titulo, damni scilicet emergentis, vel lucri cessantis, possit unquam cohonestari? Communis est Theologorum sententia, quod ubi non est justus titulus lucrum quærendi ex pecunia, illud quærere semper usura est, et eo sane enormior, quo plus exigitur lucri. Item semper usura est assecurare lucrum, et capitale in ficta societate, seu eadem non inita, vel non perdurante. Semper usura est etiam in vera societate lucrum percipere ex pecunia, non habito respectu ad industriam, et assecurare lucrum, et capitale ab omni prorsus eventu. Semper usura est, quando ex contractu, qui verum mutuum præsefert, vel palliat, lucrum supra sortem percipitur, nisi alias ex vero, et justo titulo lucri cessantis, vel damni emergentis accipiatur. Sed quocumque se vertat noster pecuniæ Dator, in hæc impingere compellitur; ergo Navarri nostri contractus iniquus est propter æqualitatis deficientiam inter socios. Non est reducendus ad trinum contractum, quia trinus contractus per ipsius quoque defensores est periculi plenus, nec usuræ caret suspicione: et si ad trinum reducatur contractum, caret tamen necessariis trini contractus conditionibus; ac proinde a Navarro est procul amandandus.

Disqui-

Villicus vindemiam facere paratus, abstinere, Hero imperante, coactus est. Interea grando eam omnino absumpsit. Quare rogavit Herum, ut damnum sibi allatum rependeret, sed frustra. Hinc clam sibi compensavit.

Quæritur: Quæ jure ad utrumque spectent?

RESOLUTIO.

I. PRædiorum in nostris Regionibus cultura est perfectissimus societatis contractus, in quo sociorum unus fundum ponit, alter industriam. In hujus contractus genere omnia æqualia esse debent, ut in antecedenti Disquisitione demonstravimus, nempe periculum, damnum, lucrum. Æquales esse debent quoque sociorum consensus in rebus faciendis; adeout nequeat sociorum unus aliquid facere, altero inscio, aut contradicente. Hæc mutua, æqualisque consensionum uniformitas huic contractui adeo essentialis est, ut si vel aliquantulum mutuus sociorum consensus deficiat, contractus funditus evertatur. Cum enim hac in re contrahentes socii dicantur, et sint; neuter itaque sine alterius consensione quidquam decernere potest. Si vero unus decernit, altero socio invito, contractum lædit. At contractuum naturam servandam esse, pactisque standum naturalia, et divina jura clamant. Qui ergo in contractu socie-

societatis aliquid operatur, socio inscio, vel contradicente, naturalia, et divina jura abrumpit, peccat, et ad damnorum reparationem tenetur.

II. Herus, et Villicus in casu nostro socii sunt. Tempus vindemiam faciendi mutuo, æqualique consensu erat stabiliendum: Herus eam distulit, Villico adversante; ergo Herus graviter peccavit, et ad ipsum spectat damni reparatio, quod ex dilatione proprio marte volita Villico socio illatum fuit. Et re quidem vera quo jure Herus Villicum coegit, ne vindemiam faceret? Sane vel ut socius, vel ut dominus. Non equidem ut socius; nam sociorum jura æqualia sunt, et ubi jura sunt æqualia, nemo potest alterum cogere; ergo vindemiam distulit, ut dominus. At ubi res perit tota domino suo perit; ergo deperditæ vindemiæ damnum totum ad Herum spectat, et nihil ad Villicum. Cum itaque nulla hujus damni portio ad Villicum pertineat, tenetur Herus Villicum indemnem facere; et Hero nolente, jure Villicus clam sibi compensavit, dummodo tamen compensationis æqualitas servata fuerit.

III. Dixi in contractu societatis neutri sociorum licere aliquid facere, altero socio contradicente. Quod utique intelligendum est in hypothesi, in qua rationabiliter contradicat. Si enim adversus rationem sese opponeret, contemnendus esset ejus dissensus. Deus enim, et natura vetant, ut aliquid adversus rationem peragatur. Hinc in casu nostro, si Herus ratione ductus fuit, ut vindemiam differret, puta, quia uvæ immatu-

maturæ erant, Villici dissensio hocce in casu irrationabil's fuisset, et Herus jure poterat vindemiam prohibere, aut dumtaxat Villico permittere, ut uvarum portionem illam vindemiaret, quæ jure eidem Villico spectavisset. Hæc addidimus, ut generalis hujus casus resolutio particularibus circumstantiis aptari possit.

Disquisitio Decimaseptima.

A Macrobio in gravi necessitate constituto Arnaldus multa emit vili pretio, pacto tamen redimendi. Completo vero tempore, Macrobius nondum habet ob suam paupertatem, unde redimat.

Quæritur: An licite tam pro vendente, quam pro emente?

RESOLUTIO.

I. LIcitam esse venditionem cum pacto redimendi affirmant omnes, et ex Sacra Scriptura apprime colligitur. Levitici enim *Cap.* 12. legitur: *Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est, et vos advenæ, et coloni mei estis; unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur.* Hinc lex tam Canonica, quam Civilis expresse hoc admittunt: Canonica scilicet 1. *Cap. ad nostram de emptione; et Cap. Illo lib. 3. tit. 21. de pignoribus*: Civilis vero *Leg. Si Fundus.*

II. Nihilo

II. Nihilo tamen minus quædam desiderantur conditiones ad hoc, ut talis venditio ab usuræ labe evadat immunis. Prima: ut contractus sit in favorem venditoris. Secunda: Ut tam vendens, quam emens veram, sinceramque habeant intentionem vendendi, et emendi. Tertia: ut rei venditæ dominium, periculum, fructus spectent ad emptorem. Quarta: ut ipsamet identitas rei venditæ servetur, itaut si vendatur e. g. vinea fructibus spoliata, in tali statu quoque redimatur. Quinta: quod non vendatur pretio vili. Sexta tandem: quod res vendatur pretio currente tempore retrovenditionis.

III. Cum igitur contractus iste iniri possit in favorem solummodo venditoris, compensanda est conditio hæc in emptorem pretii diminutione; quæ diminutio peritorum judicio est relinquenda, ut omnibus perpensis, illam stabiliant. Verum leges semper exposcunt, ut nil supra id, quod justum est, in contractibus requiratur, et percipiatur absque titulo recipiendi; titulum vero nihil aliud esse volunt, quam damnum emergens, et lucrum cessans; adeout neque pecuniæ pretiositas, neque ejusdem pecuniæ necessitas valeat quemquam ab usuræ labe immunem constituere.

IV. Quamvis Angelicus Doctor 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. doceat: *Licitum non esse mutuum petere sub usuris, quia prorsus iniquum est alium inducere ad peccandum*; nihilominus ob veram gravem necessitatem licitum est et mutuum petere, et vendere, licet mutuator, et emptor nolit tradere pecu-

pecuniam, vel emere, nisi sub usuris, quia hoc in casu propriæ consulitur necessitati, non usura permittitur. Quapropter cum Macrobius noster in gravi existat necessitate, ideo dicimus ipsum licite vili pretio vendidisse, dummodo hisce tribus conditionibus sit fulcitus, nempe: Prima: quod habuerit veram, et realem necessitatem. Secunda: quod nullus alius emptor repertus fuerit. Tertia: quod emens jam dispositus esset ad usurariam emptionem efformandam.

V. Arnaldus vero tutus non est in conscientia. Primo, quia in tali contractu quinta deest conditio, quod pretio vili non vendatur. Deinde proximi necessitas, et inopia non potest esse motivum cum sui jactura lucrandi; ac per consequens injustum, ac iniquum est citra justum pretium rem quamcumque ob vendentis inopiam emere. Unde D. Thomas *q. 13. art. 4. ad 7.* inquit. *Si quis alicui in necessitate constituto venderet rem aliquam multo amplioris, quam valeret; idem dic, si emeret vilioris; esset injusta venditio, sicut usurarii mutuatio est injusta.* Quapropter si rei valor centum erat scutata, obque retrovenditionis pactum, atque nacta necessitatis occasione, Arnaldus dedit solummodo septuaginta; hoc in casu Arnaldus ad triginta scutatorum restitutionem adstringitur; alias pactum non in favorem vendentis, sed emptoris esset, sicque prima rueret retrovenditionis conditio.

Disqui-

Disquisitio Decimaoctava.

Virgilius mortis suæ tempore, cum hæredibus necessariis privatus existat, testamentum condere præoptat. Hinc petit a Confessario, an potius ad pias causas, quam consanguineis indigentibus, hæreditatem suam valeat relinquere. Confessarius vero, ut ad pias caussas relinquat, consilium præbet.

Quæritur: An bene se gerat Confessarius, et quatenus negative, an ad restitutionem teneatur?

RESOLUTIO.

I. CAsum sane scopulis undequaque plenum explicandum aggredimur. Cum enim aliorum hæreditates unusquisque appetat, facile hac in materia justitia lædi potest, et charitas, quæ inter virtutes primatum tenent. Hinc si Confessarius ob suam imperitiam pœnitentes suos male provideat, error tam gravis evadit ob varias circumstantias hinc inde emanantes, ut remedium difficulter permittat.

II. Ut igitur inoffenso pede ad ipsius deveniamus resolutionem, Testamenti naturam in primis investigemus oportet. Testamentum igitur a testatione mentis dictum, est suprema voluntatis dispositio, et directa hæredis institutio solemniter facta; seu ut Polmanus loquitur *P. 2. n. 5.* est ultima voluntatis nostræ dispositio, seu ordinatio. A Juristis autem *L. 1. ff. de Testamentis*, sic

sic describitur: Est nostræ voluntatis justa sententia de eo, quod quis vult fieri post mortem suam cum institutione hæredis.

III. Una igitur ex conditionibus, quæ ad Testamenti validitatem sunt pernecessariæ, est, ut hæres instituatur. Talis enim institutio ita est Testamento propria, ut Testamenta vim ex institutione hæredis accipiant. Nostrum in præsentiarum non est inquirere quinam a jure sint inhabiles ad percipiendas hæreditates. Non ignoramus tamen quod non solum Communitas politica, verum quoque Ecclesiastica, nisi lex aliqua obstet, valeat hæres institui, *ut ex L. §. Cod. de hæredibus constituendis*, deducitur, ubi habetur: *Collegium, si nullo speciali privilegio subnixum sit, hæreditatem capere non posse, dubium non est*. Ergo si habeat privilegium, id sane poterit. Quinimo Testamentum ad pias caussas privilegiatum esse, expresse colligitur ex *Capite relatum* 11. *de Testamentis*; et Benedictus XIV. *Instit. Eccles. Cap.* 105. demonstrat. Nihilotamen minus monet D. Augustinus *Serm. 365. abstinendum esse ab hæreditate illorum, qui suos spoliant, ad hoc, ut loca pia vestiant*.

IV. Quapropter hæredes triplicis sunt generis, alii scilicet, necessarii, alii ab intestato, et alii extranei. Hæredes necessarii sunt illi, qui absque legitima caussa in jure expressa nequeunt hæreditate privari: Unde si hos præterit Testator, nullum est communi jure Testamentum. Tales sunt respectu parentum filii, et his deficientibus nepo-

nepotes, deinde pro-nepotes, et cæteri descentes; ita tamen, ut propinquiores remotioribus præferantur: Respectu Filiorum Pater, Mater, Avus, Pro-Avus, modo tamen descendentes non existant. Fratres vero, et Sorores non sunt hæredes necessarii, et multominus Consanguinei, ut Franciscus Henno satis ostendit. Hæredes ab intestato illi dicuntur, qui ratione propinquitatis sanguinis succedunt Defuncto absque Testamento; et sunt descendentes, ascendentes, et consanguinei collaterales ipsius Defuncti usque ad decimum gradum inclusive; idque secundum ordinem propinquitatis. Hæredes tandem extranei dicuntur illi, qui libere a Testatore hæredes instituuntur.

V. Hinc deducimus universaliter loquendo Confessarium, posthabita consanguineorum indigentia, male se gessisse inducendo Virgilium ad condendum Testamentum ad pias caussas. Et quod ita sit, Scripturam consulimus, ac Traditionem. Scriptura enim *Num. Cap.* 27. hæc habet luculentissima verba. *Ad filios autem Israel loqueris hæc: Homo cum mortuus fuerit absque filio ad filium ejus transibit hæreditas: Si filium non habuerit, habebit successores fratres suos, quod si et fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris ejus; sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his, qui ei proximi sunt; eritque hoc filiis Israel sanctum lege perpetua, sicut præcepit Dominus Moysi*. Omnibus quippe innotescit non seriem solummodo hæredum necessariorum, et ab intestato per laudatum textum efformare, verum quo-

que

que et propinquorum, uti apertissime ostendunt verba illa: *Dabitur hæreditas his, qui ei proximi sunt*. Atqui Confessarius contrarium Virgilio insinuat; ergo male se gerit. Pessumdat enim divina eloquia, quæ norma esse debent ad judicia efformanda, et tribuenda consilia.

VI. Inter Patres vero, qui nostrum arguunt Confessarium, brevitatis gratia sufficiat Augustinus, qui Sermone 365. ait: *Bonifacii hæreditatem suscipere nolui, non misericordia, sed timore. Quicumque vult exhæredato filio* (idem dicendum de omni alio saltem indigenti consanguineo Testatoris, tenent Theologi) *hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum; imo Deo propitio neminem inveniat, præcipue, quando Testator ira motus hoc faciat*. Ubi magni sunt ponderis verba illa: *suscipere nolui non misericordia motus, sed timore*, utpote quia luculenter ostendunt S. Doctorem hæreditatem non suscepisse ob timorem peccati, vel contra justitiam, vel contra charitatem.

VII. Et sane temporalia bona, quæ alicui vel ex justitia conveniunt, vel ex charitate a justitia deducta, proculdubio recta ratio demonstrat esse illi tribuenda: Atqui Virgilii bona, si non ex justitia, utpote consanguinei non sint hæredes necessarii: saltem ex charitate a justitia profluente ad consanguineos suos indigentes, utpote hæredes ab intestato, spectabant: ergo ipsis tribui debebant. Bonum siquidem est Testamentum ad pias caussas, Deoque carum. Sed quando abest pau-

perum

perum detrimentum, et quædam pecuniæ aviditas, a qua summopere abhorrere debent, qui divina pertractant ministeria. Atqui ita non est in casu; ergo Confessarius male se gessit.

VIII. Dixi universaliter loquendo, quia dari possunt quædam circumstantiæ, quæ tale exposcant consilium; uti esset si Virgilius damnum loco pio intulerit, si ditior ex loco pio, ac propria industria factus sit, et similia.

IX. Num vero Confessarius ad restitutionem sit obstringendus, quæ est secunda quæstio; dicimus: vel fraudulenter induxit Virgilium ad hoc condendum Testamentum; vel bona fide. Si primum, ad restitutionem tenetur, quia qui cum fraude, et dolo alteri damnum affert, ad illud resarciendum est obstrictus; quapropter essent loci pii Rectores ab ipso admonendi de causa, ob quam hæreditas illa ad ipsum locum pium pervenit. Si secundum, immunis est a restitutione, quia cum consanguinei hæredes non sint necessarii, sicuti poterat Virgilius sine justitiæ læsione illos hæreditate privare, ita potuit Confessarius citra injustitiam hoc consilium præbere. Restitutio enim ex justitiæ læsione tantummodo profluit. Dum igitur non intervenit injustitia, nec restitutio est admittenda.

Disquisitio Decimanona.

Lelius in suo Testamento filium naturalem instituit hæredem, hac tamen conditione, ut post tertium

tertium annum tres dotet honestas Puellas. Testamentum vero reperitur a filio legalibus solemnitatibus expoliatum.

Quæritur 1. An filius ad illud implendum sit adstrictus? 2. An duas ex suis Sororibus inter puellas eligendas valeat connumerare?

RESOLUTIO.

I. ALtera Testamentorum necessaria conditio est, ut solemniter conficiatur, scilicet, ut fiat illis circumstantiis, quæ a legibus requiruntur. Quamvis enim jure gentium omnes jus habeant Testamentum condendi, prout libet; jure tamen positivo illa forma servanda est, quam quælibet Natio pro bono communi, ac reipublicæ tranquillitate exposcit. Hinc Testamentum solemnitatibus a jure stabilitis expoliatum veluti invalidum, nullum, ac injustum a Juristis recognoscitur. Et sane quemadmodum contractus, quibus formulæ desunt a legibus omnino requisitæ, invalidi recensentur: idem de Testamentis sine debitis juris solemnitatibus conditis sentiendum est; cum tam in illis, quam in istis eadem occurrat ratio, idem motivum, ipsemet finis; nempe, ut occurratur fraudibus, utque reipublicæ paci, et tranquillitati consulatur.

II. Excipiendum tamen esse Testamentum ad causas pias factum, patet ex *Cap. Relatum* 11. *de Testam.* ubi Alexander III. præcipit, ut in Testamen-

stamentis; aliisque ultimis voluntatibus in favorem Ecclesiæ factis non secundum juris civilis apices, sed secundum Canones judicetur. Quapropter Testamentum ad causas pias factum perfecte privilegiatum est, et validum pro utroque foro, tam interno, quam externo conscientiæ; et solum requiritur, ut habeat, quæ jus naturale, et gentium exposcit. Quinimo nedum Testamentum ad causas pias factum; verum quoque Legata pia in Testamento ad causas profanas inserta valent, quamvis ipsum Testamentum ob defectum solemnitatis civilis corruat, quia in relictis ad caussam piam jus Civile minime attenditur, prout sustinent fere omnes Canonistæ.

III. Causa vero pia tunc est, cum principaliter, ac directe ad Dei, Sanctorumque honorem, vel spiritualem animæ salutem, aut finem pium Testamenta, aut Legata quædam conficiuntur. Hinc inter causas pias recensentur a Doctoribus Causæ redimendi Captivos, subveniendi Viduis, aliisque miserabilibus Personis, suffragandi mortuos, præbendi medium ad conficienda studia, dotandi puellas alias dote carentes, quia hoc in casu alimentis æquiparantur, quorum causa censetur pia *l. 14. ff. de aliment. legat. et l. 31. C. de SS. Eccles.*

IV. Lelii igitur Testamentum inter privilegiata est recensendum; ipsiusque conditio ad causas pias referenda. Hinc, licet legalibus careat solemnitatibus, suum habet robur ad adstringendum hæredem, ut conditionem illam adimpleat;

Et requidem vera superius observavimus, nedum Testamenta, verum etiam Legata pia in quolibet Testamento inserta valere, etsi legales non concurrant solemnitates: Demonstravimus quoque dotare honestas puellas esse causam piam. Ergo hæc causa pia a Filio hærede est adimplenda. Si defacto Pater morti proximus declaravisset Filio, aut alteri fide digno suam voluntatem, quoad aliquid pium executioni mandandum; ex communi sententia Filius deberet illud exequi, quia Filius tenetur Voluntatem Patris adimplere; ergo a fortiori tenetur in casu, ubi Voluntatem Patris in Testamento expressam habet.

V. Illas vero dotes applicare non potest pro suis Sororibus. Dos enim, ut inter caussas pias recenseatur, debet relinqui tali puellæ, quæ careat alias dote, quare nubere prohibeatur: Atqui tales existere hujus Sorores supponi non potest. Ergo istæ Sorores non sunt connumerandæ inter Puellas a Testatore assignatas.

Disquisitio Vigesima.

Simon cum Patrimonio pingue etiam possidet Beneficium. Hinc evenit quod ex Patrimonii fructibus comparet sibi necessaria ad congruam substentationem: Beneficii tamen redditus omnes in multa acquirenda tam mobilia, quam immobilia insumat. Morti tandem proximus horum omnium bonorum propinquos suos instituit hæredes.

Quæ-

Quæritur 1. An potuerit ex fructibus Beneficii res illas sibi comparare? 2. An juste instituerit propinquos illarum rerum hæredes? 3. An hæredes tuta conscientia valeant nunc illas retinere?

RESOLUTIO.

I. Tertia tandem, quæ est principalis, Testamentorum conditio est, ut Testator testandi habeat facultatem. Cum enim agatur de transferendo rerum dominio, necesse omnino est, quod Testator de illis rebus liberum habeat, absolutumque dominium. Qua de causa a conficiendo Testamento excluduntur Servi, Monachi, omnesque illi, qui de hoc rerum dominio gloriari non possunt. Num vero Clerici liberum habeant super Beneficiorum redditus dominium ex ipsius Beneficii institutione, natura, et indole est desumendum.

II. Clerici igitur sunt Christi Ministri ab ipso, et Ecclesia electi ad excolendam vineam suam. Hinc æquum, et justum est, ut Ecclesia eis subministret necessaria ad congruam, honestamque vitæ substentationem. Quapropter ab ipsis Christianæ Religionis incunabulis, quinimo ab ipsomet Legislatore Christo, ut ex Evangeliis Marci. *Cap. 6.*, Lucæ *Cap. 9.*, et Joannis *Cap. 4.* eruimus, fidelium colligebantur oblationes ad alendos Episcopos, Presbyteros, cæterosque Ministros, ad conservanda Ecclesiæ luminaria, Sacra Vasa, Libros, et alia hujusmodi, necnon et ad occu-

occurrendum Orphanis, Viduis, Pauperibus. Donec sub Ethnicorum dominatu res omnes habitæ sunt, Oblationes istæ in rebus mobilibus consistebant; utpote quia illis in ærumnis facile celari poterant, ac asportari. Sed data a Costantino Christianis pace, Ecclesia rebus immobilibus cæpit abundare, quorum cura, et administratio erat penes Episcopum; ad quem spectabat reddituum distributione Ecclesiæ fabricam conservare, et seipsum, Ministros, atque Pauperes alere, et sustentare. Clerici igitur ex communi illius Ecclesiæ Patrimonio, cui addicti erant, unacum Pauperibus, quamvis diverso motivo, alebantur.

III. Decursu vero temporis Ecclesiastica bona divisa sunt, uti habemus ex Synödo Bracarensi 1. *can.* 7. *col.* 351. *tom.* 3. *collect. Harduini*, quorum una pars Episcopo, altera Clericis, tertia Ecclesiæ fabricæ adscripta fuit. Hinc factum est, ut Clerici non ex communi Ecclesiæ erario, sed ex peculiaribus Præbendis alimenta reciperent, ac proinde Beneficia emanarent, quæ sunt totidem partes fructuum ex redditibus Ecclesiæ ad Clericorum necessariam substentationem stabilitæ. Cum igitur hac in divisione Pauperibus pars determinata non conspiciatur, concludendum est ipsorum curam Beneficiariis, tanquam ipsorum Patribus, fuisse commissam. Qua de causa Beneficia Clericis concedi quidem', ut honeste, ac decenter vivant; non vero, ut accumulent thesauros iniquitatis, nec Consanguineos ditent, uno ore clamant Sacri Canones, Ecclesiæ Decreta, Sanctique Patres.

IV. Hinc in *Can. Res Ecclesiæ, relat. a Gratian. 2. p. decret. caus.* 12. *q.* 1. legimus: *Res Ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut communes, et Deo oblatæ cum summo timore, non in alios, quam pios usus sunt fideliter dispensandæ.* Pariter *in Can. Clericos* hæc habentur: *Clericos autem illos convenit Ecclesiæ stipendiis substentari, quibus Parentum, et Propinquorum nulla suffragantur bona.* Deinde Synodus Tridentina. *Sess. 25. de Reform. Cap.* 1. ita sancivit: *Omnino vero eis interdicit, ne ex ridditibus Ecclesiæ Consanguineos, familiaresve suos augere studeant, cum et Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, Consanguineis donent: Sed si paupcres sint, iis, ut pauperibus, distribuant: Eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa; imo quam maxime potest, eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quæ vero de Episcopis dicta sunt; eadem non solum in quibuscumque Beneficia Ecclesiastica, tam sæcularia, quam regularia obtinentibus pro gradus sui conditione observari, sed ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere, decernit.*

V. Hujusmodi Sanctionibus se subscribunt omnes Ecclesiæ Patres. Nam S. Hieronymus *in Cap. 3. Isajæ Tom. 3. hæc* habet: *Rapina pauperum in domibus* (Sacerdotum) *quando replent thesauros suos, et Ecclesiæ opibus abutuntur in delicias, publicasque stipes, quæ ad sustentationem pauperum*

perum data sunt, vel sibi reservant, vel propinquis distribuunt, et alienam inopiam suas, suorumque faciunt esse divitias. Et Ep. ad Damas. *Tom.* 5. *Qui bonis parentum sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profecto committunt, et judicium sibi manducant, et bibunt.* S. Bernardus *Tom.* 2. *pag.* 293. *Res pauperum, non pauperibus dare, par sacrilegio crimen esse dignoscitur: Sane patrimonia pauperum, facultates Ecclesiarum, et sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid sibi Ministri, et dispensatores, non utique Domini ... ultra victum accipiunt, et vestitum.* S. Antoninus *Tom.* 3. *tit.* 13. *Cap.* 3. *Sect.* 6. *Quidquid Clerici habent, pauperum est; unde tenentur Clerici ad restitutionem omnium pauperibus, vel in utilitatem Ecclesiæ.* S. Raymundus Decretalium Collector *Sum. Lib.* 2. *tit.* 5. *Tales Prælatos, et Clericos, qui talibus conferunt bona Ecclesiastica pauperibus debita, dico esse raptores, et per consequens teneri ad restitutionem omnium.* Et, ut finem tandem ponamus D. Thomas. *In Cap.* 12. 2. Epist. ad Corinth. *lect.* 2. *Principes non dederunt divitias Prælatis propter se, sed propter pauperes; et ideo non dederunt eis, sed pauperibus: Prælatis autem dantur tanquam pauperum dispensatoribus.*

VI. Ex his omnibus hæc profluunt Consectaria. Primum Clerici igitur Beneficiorum reddituum non sunt domini, si ipsis vetatur a sacris Canonibus distribuere illos Consanguineis; si juxta SS. Hieronymum, et Bernardum sacrilegium est; si pau-

pauperum est quidquid Clerici habent, teste D. Antonino, nec non et S. Raymundo; si tandem bona ista data sunt Ecclesiis a Principibus propter pauperes, judice D. Thoma: Ac per consequens quidquid honesto victui superest, tenentur Clerici in pios usus impendere. *Ubi primum*, inquit quapropter Concilium Mediolanense I. *Ecclesiæ bona esse cæperunt, eam naturam, et conditionem consecuta sunt, ut in alium quam pium usum converti nefas esset.* Ergo non licuit Simoni ex fructibus Beneficii res illas sibi comparare.

VII. Nec obstat, quod Altari inservienti de Altare vivendum sit, ut loquitur Apostolus: non obstat inquam, quia D. Hieronymus subjungit: *Vivat, sed non ditetur.* Quo pacto revera se gereret Simon in Casu. Audiant igitur Clerici Beneficium possidentes, quidquid super hujuscemodi sententiam dicat Aquisgranense Concilium: *Dura sunt hæc, sed observare nolentibus. Non ea, quæ nolumus observare, impossibilitas nobis facit dura, sed novitas; in usum veniant, et neminem frequentata conturbant.*

VIII. Secundum: Irritum est Testamentum illorum bonorum sive mobilium, sive immobilium, quorum dominium, et proprietas non possidetur: Atqui Beneficiati dominium, et proprietatem redditiuum Ecclesiasticorum non possident: ergo illicitum, et irritum est eorum Testamentum; ac per consequens Simon nequivit præfatarum rerum hæredes Parentes instituere.

IX. Opponunt Adversarii consuetudinem Beneficiatis concessam, disponendi, scilicet, per Testamentum de rebus suis. Nos autem istis, qui autumant sacris Canonibus standum non esse, utpote consuetudine abrogatis, reponimus in primis eos vana spe ludere, ac proinde hortamur cum Julio Pontifice ad Orientales Episcopos scribente: *Nolite errare, Fratres mei carissimi; Doctrinis variis, et extraneis nolite abduci. En instituta Apostolorum, en Apostolicorum Virorum, canonesque habetis. His fruimini, his circumdamini, his delectamini, ut his freti, circumdati, delectati, armati, contra cuncta inimicorum jacula persistere valeatis.* Deinde asserentes, Legem vetantem, ne Beneficia possidentes redditus eorumdem præter pios usus impendant, fundari in Lege naturali, ut ex ipsius Beneficii indole erui facile potest. Petimus porro, quomodo consuetudo legi naturali valeat derogare? Tandem, Ecclesiam ideo facultatem testandi Beneficiariis præbere, ut lites, et contentiones, quæ oriri possent, de medio tollantur; lites, inquam, illæ, quæ efformarentur ex difficultate discernendi, et separandi bona ex redditibus Ecclesiæ comparata, ab iis, quæ aliunde profecta essent. Confidit igitur Ecclesia Beneficiarios in favorem pauperum solummodo testaturos fore de bonis iis, quæ ad alios usus absque furti, et quadam sacrilegii specie distrahi non possunt, et converti.

X. Tertium: Aut igitur Simonis Consanguinei pauperes sunt, aut non. Si primum, retine-

re

re possunt, quod eorum congruit substentationi, definiente Tridentina Synodo: *Si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant*, prout supra retulimus; Reliquum vero in pios usus impendant, ut essentia bonorum servetur, quæ sane non deficit, licet ad Laicos transierint. Si vero secundum, dimittant illico, eo quia et injuste receperunt, et impiissime detinerent. Unde Concilium Mediolanense I. sub D. Carolo celebratum super hujuscemodi Sententiam ita concludit: *Noverint ii, ad quos scientes hujusmodi fructus.... quovis nomine pervenerint, se eadem restitutionis lege teneri*, (qua scilicet Clerici ipsi) *qui Beneficiorum fructus, vel ad alios transferre ausi fuerint, vel in quem debent usum, non impenderint*.

Disquisitio Vigesima prima.

Mense Octobris Augustinus Canonicus, ut vacet venationi, suppeditat choro clericum Felicem. Quadam autem die cum consederet quodam in Eremo Patrum Camaldulensium, de repente tanta pluviæ inundatio erupit, ut extra illius loci limen pedem movere non potuerit. Officium illius diei non persolvit, quia aliud Breviarium penes se non reperitur, præter Monasticum.

Quæritur 1. An satisfecerit suo oneri ob impositam alteri Officii recitationem? 2. An debuisset pensum suum persolvere, utens Breviario Monastico? 3. An teneatur ad illius diei fructuum Restitutionem?

RE-

RESOLUTIO.

I. Cum Clerici sint Ministri Altissimi, ac Mediatores Deum inter, et Homines; ideo præcipuum ipsorum officium in Altaris ministerio positum est, atque in precibus quibusdam, quas quotidie mittere debent pro populo ad Deum. Quamobrem Ecclesia certas constituit preces, quæ unoquoque die a Clericis fundendæ sunt. Atque hæ sunt Horæ Canonicæ, quas quotidie debent recitare, et quæ *divini Officii*, *ac Breviarii* nomine appellantur. Hujusmodi obligatio est quidem onus personale ab Ecclesia impositum, originem trahens vel a Beneficio, vel a Professione religiosa, vel ab Ordine, quæ sane inseparabilia sunt a Persona.

II. Breviarium istud, quod quidam Horarium vocavere, sub diversis legibus, ac Ritibus proponitur. Aliud enim est Breviarium Romanum, quia preces continet juxta ritus S. R. Ecclesiæ. Aliud Monasticum, quia leges dissimiles habet, ab Ecclesia tamen approbatas, ob rite divinum recitandum Officium. Hinc Clerici sive Sæculares, sive Regulares, qui Ritum, et Officium proprium a Romano non habent distinctum, tenentur juxta ritum Romanum Officium recitare: Sicuti econverso ritum, et Officium proprium illius privilegiatæ Ecclesiæ, ad quam sunt addicti, tenentur alii adhibere; ideoque notabiliter deficit Clericus ille, qui pro suo peculiari Breviario utitur altero diverso. III. Ni-

III. Nihilo tamen minus observatione dignum est, quod in obligatione persolvendi Divinum Officium duo recludantur præcepta: unum nempe commune, et generale obligans omnes Clericos ad Horarum Canonicarum recitationem; et alterum privatum, et peculiare observandi scilicet talem ritum. Primum est quidem maximum, et primarium. Secundum vero est veluti accessorium, et secundarium.

IV. Hisce positis, en allatarum quæstionum solutiones. Prima: obligatio divini Officii est onus personale; ergo Augustinus hujusmodi obligationi per alium non satisfacit. Nec valet Regula: *Qui facit per alium est perinde, ac faciat per seipsum*. Non valet inquam, quia Clericus, cum sit onus personale, facultatem non habet alterum subdelegandi.

V. Secunda: Maximum, et primarium Præceptum est divinum Officium persolvere; ergo persolvendum est ab Augustino meliori modo, quo potest; sicuti ille, qui non potest majorem, tenetur illam recitare partem minorem, quam potest; ac per consequens Augustinus noster notabiliter defecit illis in circumstantiis, Breviario non utens Monastico.

VI. Tertia: Onus persolvendi Officium a Beneficio emanans secum affert stipendium: ergo qui huic oneri non satisfacit, tale stipendium percipere non potest: Atqui Augustinus, ut demonstravimus, hoc in suo munere deliquit, ideo ad fructum illius diei restitutionem tenetur. Hinc meri-

merito anathemate confossa fuit ab Aleyandro VII. hæc Propositio: *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.*

Disquisitio Vigesima Secunda.

Quidam Cæmentarius in fundamentis Domus construendæ excavandis, Capsulam invenit perantiquis aureis nummis refertam. Rei nemo est conscius.

Quæritur: An repertos nummos sibi valeat retinere?

RESOLUTIO.

I. Thesaurus est vetus quædam Depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, itaut jam Dominum non habeat. Ita *Digest.* 41. *T.* 1. Pecuniæ autem nomine significantur quoque aliæ res mobiles, ut gemmæ, vasa aurea, et similia. Jure itaque naturali Thesaurus est primi occupantis. Cum enim Thesaurus sit depositio pecuniæ adeo perantiqua, ut Hominum memoriam omnino antecellat, necessario consequitur ejus Dominum, et Hæredes a longo tempore occubuisse. Nulli itaque sunt ejus Domini. Sed ex naturali jure bona, quæ nullum habent Dominum, sunt primi occupantis, seu inventoris; Ergo si jus naturale spectemus reperti a Cæmentario nummi omnes

omnes ipsius sunt, eosque omnes tuta conscientia retinere potest.

II. At cum hac de re innumera dissidia, litesque emergere possint, hinc ad hujusmodi civiles dissentiones, rixasque cavendas Lex civilis nonnulla decrevit, quæ ad hæc Capita reduci possunt. Primum: Si Thesaurus reperiatur in proprio fundo, totus sit Inventoris. Secundum: Si excavetur in fundo alieno, in duas dividatur partes, quarum una sit Inventoris, altera ad Dominum fundi conferatur. Tertium: Si dominium fundi, in quo Thesaurus reperitur, non sit absolutum, sed mixtum, prout in Emphitheusi, et in bonis feudalibus evenire solet, tunc tres fiant ex Thesauro partes: Una sit Inventoris; altera illius, qui Emphiteusi, aut feudalibus fructibus fruitur: Tertia denique principalis Domini: Hisce addendæ sunt peculiares Regni, Provinciæ, et Civitatis Leges; iisque Legibus facile stabilitur, quænam repertorum nummorum pars ad Cæmentarium pertineat.

Disquisitio Vigesima Tertia.

Mercator ad incitas brevi redactum iri prævidens, se ad juris normam decoctum declaravit. Antea tamen uni ex suis Creditoribus sibi amicissimo triplum debiti persolvit. Cætera vero bona, quæ supersunt, ejus Uxor titulo dotis sua esse ostendit.

Quæritur: 1. *Quid de hujusmodi decoctione dicen-*

dicendum? 2. Quid de Creditore? 3. Quid de Uxore judicandum?

RESOLUTIO

I. CAsus iste nonnullis indiget observationibus: Igitur Prima observatio est, qod Decoctio est impotentia Debitoris solvendi debita; Unde debitor omnia sua bona cedit Creditoribus proportionaliter inter ipsos dividenda. Hæc bonorum omnium cessio ex justitia proficiscitur, quæ exigit, ut qui nequit totum solvere debitum, solvat saltem, quod potest. Cum itaque necesse sit, ut in decoctione justitiæ officia adamussim observentur, necesse quoque est, ut tituli omnes veri sint, et justi. Hinc vera esse debet impotentia solvendi, et integra bonorum cessio.

II. Secunda observatio est, quod impotentia solvendi duplex est, nempe culpabilis, et inculpabilis. Culpabilis dicitur, si ob malam debitoris administrationem, ob nimios sumptus, pompas, ludos, et hujusmodi alia vanitatum genera, evenerit. Inculpabilis vero est, si ob naufragium, hostium incursiones, incendia, similesque fortuitos eventus acciderit. Si impotentia solvendi ex culpa debitoris exorta est, tenetur ipse non modo omnia Creditoribus cedere, verum quoque debet ipse laboribus manuum suarum, et industria omnia deinceps facere, donec in integrum Creditoribus satisfecerit. Repugnat enim Justitiæ, ut debi-

debitor ex propria culpa commodum sentiat. Eademque justitia expostulat, ut culpa cujuscumque debitis pænis afficiatur. Si autem in impotentiam solvendi absque sui culpa debitor illapsus sit, tunc cedat omnia Creditoribus; retineat tamen sibi moderatam bonorum portionem, ex qua absque quocumque luxu, et pompa vivat. Ubi enim culpa non est, pæna a justitia vetatur.

III. Hisce duobus de hoc Casu decernendum est. Quapropter quoad primum Quæsitum dicimus: Decoctionem nostri Mercatoris illicitam esse, et veri furti genus. Decoctio enim ut justa sit, exigit, ut bona omnia Creditoribus cedantur. Atqui non ita se gessit Mercator noster; Ergo ejus decoctio illicita est, ac veri furti genus.

IV. Pariter Creditor triplum sui debiti a Mercatore receptum absque scelere retinere non potest. Fraus enim, et dolus nemini patrocinari potest. Totum igitur restituat, misceatque cum cæteris Debitoris bonis, quæ proportionaliter sunt inter Creditores dividenda, ut supra demonstravimus.

V. Uxor tandem titulo dotis nihil retineat, si ipsa quoque ob muliebres pompas, theatra, ludos, et voluptates in Mariti decotionem conspiravit; sentiatque angustiam, et miseriam, quam propria culpa promeruit. Sin vero decoctio nec Mariti, nec sui vitio evenit; tunc sibi retineat, quæ ad vitæ dumtaxat substentionem sunt necessaria. Dotis titulus in hisce Casibus est plerumque forense artificium, quo furta, et crimina coram

ram hominibus obteguntur. Sed Confessarius, ut horum omnium Conscientiæ consulat, ad has justitiæ tramites debet illos redigere, quia hæc omnia, non ex Causidicorum cavillationibus, sed ex naturali, divinoque jure, necnon ex Decretali Gregorii XI. *Capitulo Odoardus. extra de solutionibus* deprompsimus.

Disquisitio Vigesima quarta.

Ptolomeus vir magnæ extimationis cum Decium ad Beneficium quoddam elevari exoptaret, accedit ad Titium, qui jus habet nominandi. Sed audit destinari ab ipso Amelium, de quo Ptolomeus fere nullam habet notitiam. Hinc cum nulla alia Ptolomeo suppetat via ad suum obtinendum desiderium, affirmat Amelium ineptum esse. Ex quo accidit, quod Titius non amplius nominet Amelium: Et Amelius ad hæc damna vindicanda firmo statuat Ptolomeum occidere; hac nixus ratione, quia fama Vitæ æquiparatur, et sicuti ad vitam, ita ad famam tuendam licitum est occidere offensorem.

Quæritur: 1. An Ptolomeus teneatur ad Amelii famam restituendam, necnon et ad omnia damna? 2. Quid de Amelii proposito dicendum?

RESOLUTIO.

I. Constans, atque certa regula est quemcumque ad restitutionem teneri, quotiescumque ab ipso con-

contra proximum commutativa læditur justitia, prout suprà demonstravimus. Quia vero Proximus quatuor bonorum genera, nempe Corporis, Animæ, fortunæ, et spiritus potest possidere; ideo quatuor modis justitia commutativa ferre valet læsionem. Cum igitur Ptolomeus impediverit quominus Amelius consequeretur beneficium, clare patet, erga bona Animæ, et fortunæ justitiam commutativam ab ipso fuisse rescissam. Sed advertendum duplici modo evenire posse, ut quis impediat, quominus bonum aliquod consequatur; quando nempe, quis jus habet ad illud, et ex justitia ei debetur; et quando inhibetur, ne quis obtineat id, quod non ex justitia, sed solum ex aliorum beneficentia ipsi debetur.

II. Hinc generaliter loquendo profluit primi quæsiti Solutio; nempe Ptolomeum famæ, damnique illati restitutioni obstrictum esse: *Si culpa tua*, inquit *Gregorius XIII. Cap. ultim. de injuria, datum est damnum, vel injuria irrogata, jure super his satisfacere te oportet*. Atqui Ptolomei culpa damnum, injuriamque sustulit Amelius; Ergo ad damni, injuriæque compensationem Ptolomeus tenetur.

III. Dixi generaliter loquendo, quia D. Thomas 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *ad* 4. sic hunc Casum evolvit: *Dicendum, quod aliquis potest impedire aliquem, ne habeat præbendam multipliciter. Uno modo juste, puta si intendens honorem Dei, vel utilitatem Ecclesiæ, procuret quod detur digniori; et tunc nullo modo tenetur ad restitutionem, vel ad aliquam compensationem faciendam: alio modo*

injuste, puta, si intendat ejus nocumentum, quem impedit, propter odium, vel vindictam, aut aliquid hujusmodi; et tunc si impedit, ne præbenda detur digno, consulens, quod non detur, antequam sit firmatum, quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam compensationem, pensatis conditionibus Personarum, et negotii secundum arbitrium sapientis; non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, et poterat multipliciter impediri: Si vero jam firmatum sit, quod alicui detur Præbenda, et aliquis propter indebitam causam procuret, quod revocetur; idem est ac si jam habitam ei auferret; et ideo tenetur ad restitutionem æqualis, tamen secundum suam facultatem. Hactenus D. Angelicus.

IV. Ex allata doctrina pro peculiari hujus Casus solutione hac distinctione procedendum esse colligimus. Aut Amelius indignus revera fuit, et incapax ad Beneficium, aut non. Si primum, iterum distinguamus oportet. Aut indignitas hæc aliis est quoque nota, aut solummodo est apud Ptolomeum. Si alijs etiam nota, a Ptolomeo Justitia non læditur, quia indignus ob suam indignitatem nullum habet jus ad Beneficium, ac proinde Ptolomeus a restitutione et damni, et injuriæ immunis evadit. Si vero penes Ptolomeum tantummodo non ignota existit; tunc respondet Clarissimus P. Daniel Concina *lib. 2. de Just. et Jur. Diss. 2. de restit.* §. 6., cui subscribendum censemus: Ad nihil teneri probabilius sentio; quoniam boni publici ratio postulat, ut in his casibus

bus indigni manifestentur. In hunc finem informationes occultæ postulari, et haberi solent. Delictum tamen hujus generis sit oportet, quod minus dignum reddat candidatum, imo ipsum occultum delictum, quod indignum reddit candidatum, caute, prudenterque manifestandum est, ne sequatur infamia. Si enim ob tuam imprudentem manifestationem Candidatus infamaretur, ad infamiæ damnum resarciendum adstringereris: Secus ad compensandum damnum secutum ad Beneficii privationem, quando a Collatore Beneficium denegatum fuit, non ob publicam infamiam, sed ob delictum in se spectatum. Huic responsioni duas Regulas silentio præterire non duximus, ut quilibet Confessarius Ptolomei conscientiæ consulere valeat. Prima est. Quod Amelii indignitatem certo sciverit, et non per alicujus susurronis dicterium; Multoties enim a susurrone pro veris proferuntur, quæ vix veritatis umbram continent. Secunda: Quod certo sciat in supposito delicto Amelium esse habituatum: cum enim peccare humanum sit, emendari angelicum, emendatio nullum reddere debet indignum. Petrus sane Christum negavit; nihilotamenminus post emendationem et Caput Ecclesiæ, et Apostolorum Princeps a Christo Iesu constituitur.

V. Hisce indubiis præhabitis Regulis, jam demonstravimus Ptolomeum ad restitutionem teneri, si Amelius indignus revera non extiterit. Num vero ad integram restitutionem, hoc ex securitate Beneficii possidendi deducendum esse, in-

inquit Angelicus Doctor loco superius laudato. Quapropter non ad integram, si nondum factus sit certior, ac tutas de Beneficio adipiscendo: Ad integram vero, sed secundum suam facultatem, si jam perfecte, et complete firmatus fuerat a Collatore in prænarrato Beneficio.

VI. Amelii tandem propositum malum equidem est, et repetitis vicibus ab Apostolica Sede anathemate confixum, ut in 2. *Decal. Præc.* demonstravimus. Ex D. Augustino *lib.* 1. *de lib. arb.* non licet occisione tueri pudicitiam, quod est præstantissimum bonum; multominus licebit occisione bonum nomen non tueri, sed vindicare. Velint, nolint homines hujus sæculi, hoc certum, ac inconcussum est, nempe, gloriam, et bonum nomen Christianorum esse conformari exemplo Christi, qui cum malediceretur, non maledicebat; et adeo vitam, moresque componere, ut is, qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

Disquisitio Vigesima Quinta.

Quadam in Civitate delictum quoddam commissum fuit, quod Eugenius aliquibus ex suis Consanguineis in Vicinia commorantibus detegit.

Quæritur. 1. An Eugenius læthaliter peccaverit, ac restitutioni evaserit obnoxius? 2. An, et quomodo Consanguinei illam audiendo detractionem culpabiles sint adjudicandi?

RE-

RESOLUTIO.

I. PRoximi crimen. revelare peccatum esse contra justitiam ad restitutionem obligans, indubitabile est apud omnes: læditur quippe ipsius proximi æxistimatio, naturalique jure spoliatur ad bonum nomen, quod pluris debet æxistimari, quam divitiæ multæ prout natura ipsa exposcit, et Deus exemplo suo ostendit, dicens: *Honorem meum nemini dabo*. Hoc de crimine occulto verum est. At de publico distinctionibus procedendum esse, Theologorum opinio, cui subscribimus, declarat, vult, atque exigit.

II. Patratum delictum publicum esse potest notorietate juris, et notorietate facti. Tunc publicum est notorietate juris, cum Iudex pœna aliqua afficit delinquentem. Tunc est publicum notorietate facti, quando crimen in foro, in loco publico, in multorum præsentia committitur. Cum igitur Iudex qualibet in sententia ponat, ut delictum, quod punit, publice legatur, publicoque Præcone denuncietur; evidens est ipsum spoliare omni jure ad propriam famam delinquentem: ac proinde si tale crimen manifestatur, justitia utique non læditur, nec læthaliter delinquitur. Si crimen vero publicum est notorietate facti, iterum distinguamus oportet. Aut facile ad Vicinia devenire poterat, aut non. Si facile, quomodo justitiam læsam fuisse dicendum sit, non videmus. In Moralibus enim quod parum distat, nihil dista-

distare judicatur, quodque est in potentia proxima, jam fere judicatur in actu. Delictum quapropter publicum in Civitate, dum colligi potest, ipsius notitiam ad Vicinia non solum ex loci propinquitate, sed inspectis quoque omnibus circumstantiis facile, et moraliter fore perventuram; videtur publicum quoque in Vicinia, ubi breviter evulgandum colligitur; ac per consequens illud referendo nec justitia læditur, nec culpa læthali quis reus efficitur. Si autem non tam facile hujus delicti notitia erat probabiliter ventura; en famæ læsio, en injustitia, et peccatum, en denique restitutionis debitum. Ad tramites igitur hujus doctrinæ Eugenii Casus est exsolvendus.

III. Pro secunda quæstione jam definitum fuit ab Apostolo Ep. ad Rom. *Cap.* 1. Consanguineos præfatos peccati læthalis Reos esse, quia ibidem dicit: *Digni sunt morte non solum, qui peccata faciunt, sed etiam qui facientibus peccata consentiunt*. Nihilo tamen minus cum dupliciter possit quis detractioni consentire; ideo pro completa hujus quæstionis resolutione distinguendam ducimus prius directam ab indirecta cooperatione. Cooperatio directa est, quando quis inducit alium ad peccatum, vel ei placet peccatum. Indirecta vero quando non resistit, cum resistere possit.

VI. Hinc si Eugenii Consanguinei directe detractioni consenserunt, vel inducendo eum ad patefaciendum delictum, vel saltem complacentiam demonstrando in ipsius delicti narrationem, non

non minus peccant, quam ipsemet detractor Eugenius, dicente D. Bernardo; *Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim*; ac per consequens ipsos graviter contra justitiam deliquisse concludendum est.

V. Sin autem indirecte tantum Eugenii detractioni cooperarunt, ex timore scilicet, quia nempe timebant aliquod grave damnum sibi obventurum; ex verecundia, quatenus deficiebat animus ad detractionem repellendam: ex negligentia quadam, quatenus crederent nihil sibi interesse Eugenii animæ salutem; peccarunt equidem, sed multo minus, quam Eugenius, ut inquit Doctor Angelicus, et plerumque venialiter. Hisce in casibus caveant prædicti Consanguinei, ne ex nimia animi levitate timorem sibi effingant, quia ut Prov. Cap. 24, legitur: *Qui inspector est cordis, ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit*; et ab hoc timore præcipue caveant quando Personæ corrigendæ talis conditionis, et status non sunt, ut venerationem, timoremque valeant efformare.

Disquisitio Vigesimasexta.

Est in more positum apud Nostrates confluere diebus signanter festivis ad Tabernas, ubi minutatim venditur vinum, ibique ludendo, ac bibendo ad ebrietatem usque commorari. Hinc Philippus quoties proprium vendit vinum, toties dolosis utitur mensuris.

Quæ-

Quæritur 1. Num Noe ebrietas culpa vacaverit, quaque de causa? 2. An peccata in ebrietate commissa imputanda sint ad culpam? 3. An his positis circumstantiis liceat vinum minutatim vendere? 4. An Philippus sit sub gravi restitutioni obstrictus; et quomodo restituere debeat?

RESOLUTIO.

I. C*œpitque Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam: Bibensque vinum inebriatus est, et nudatus in tabernaculo suo*. Ita Noe ebrietatem nobis innuit Sacer Scriptor *Gen.Cap.9.* Quæritur igitur num Ebrietas hæc Noe fuerit peccatum. Negant omnes, si Lutherus, et Calvinus excipiantur, qui Noe intemperantiæ ebrietatem hanc tribuere non erubescunt. Et revera Noe ebrietas nullius culpæ potest accusari, quin in hæresis suspicionem, aut saltem in temeritatis notam prolabamur. Theologiæ enim Canones decernunt propositiones illas, quæ in Scriptura fundantur, et unanimi Sanctorum Patrum consensione stabiliuntur, non posse in dubium a neminem revocari, quin hæresis suspectus habeatur, aut saltem perfrictæ audaciæ censura culpetur. Hinc Noe Justitiam Scripturæ concelebrant. Ipse igitur ob ebrietatem ne leviter quidem peccavit. Scripturæ enim æconomia, dum Virum aliquem justum prædicat, tanta est, ut nulli justitiæ laudem elargiatur, qui levibus quoque culpis voluntarie patratis inqui-

quinetur. Si igitur Noe dum sese inebriavit peccavisset, tantam laudem a Spiritu Sancto assecùtus non foret. Sancti quoque Patres uniformi voto innoxiam docent Noe ebrietatem; imo Hieronymus, et Augustinus non modo innocuam volunt, sed mysteriis plenam, prout legere possumus in Libro contra Luciferianos, et in Libro de Civitate Dei.

II. Qnoad caussam vero arbitror multos deceptos fuisse, asserentes, ideo Noe non peccavisse dum inebriatus fuit, quia ipse primus fuit, qui vineam plantavit, et vinum proinde bibit: Unde deducunt, quod nesciens ille vini proprietatem inebriandi, ex inexperientia ludificatus fuerit. Hujusmodi Auctores deceptos esse, inquio; quia Christus Dominus in Evangelio secundum Lucam *Cap.* 17. apertissime asserit antediluvianos homines et vineas habuisse, et vino ad crapulam usque fuisse usos. Dixit enim: *Sicut factum est in diebus Noe .... edebant, et bibebant, uxores ducebant ... usque in diem, qua intravit Noe in Arcam, et venit diluvium, et perdidit omnes.* Si Christus Dominus igitur increpavit antediluvianos, quod edebant, et bibebant; certe non bibebant aquam; aquam enim bibere divinæ increpationis objectum esse nequit. Vino igitur nimis indulgebant. Quare sciebat Noe Vini usum; neque ab inexperientia deceptus est, sed aliis de caussis, prout aliquando Viris quoque temperatissimis evenit, atque evenire potest.

III. Se-

III. Secunda Quæstio inquirit, num mala omnia, blasphemiæ, scilicet, rixæ, eloquia turpia, et similia, quæ ab ebrietate sequuntur, sint ei imputanda, qui voluntarie se inebriat. Utique respondeo. Dum enim effectus aliquis sequitur per se ad caussam, tunc qui vult caussam, vult quoque effectum, qui profecto, quamvis non sit voluntarius in se, est tamen voluntarius in sua caussa. Quapropter legitur 2. *ex reg. jur. In causam consentiens, in effectum consentire videtur*. Cum igitur illi, qui ad Tabernas confluunt, ebrietatem fere præoptent, asserendum est ipsos velle quoque omnia illa mala, quæ ex ebrietate emanant; ideoque eis imputanda esse ad culpam.

IV. Cum igitur hæc vini venditio tot malorum sit scaturigo, prout in dies ipsa est de hac re testis experientia; quis in dubium poterit revocare illicitum esse vinum minutatim vendere? Nemo sane. Nam ea absque culpa vendi non possunt, quæ in usus absque peccato, ut plurimum, et fere semper adhibentur. Atqui Vinum minutatim venditum fere semper ebrietates, rixas, scandala, homicidia, et hujus generis alia producit; ergo sine culpa vinum minutatim vendi non potest.

V. Nec valet opponere: Venditor utitur jure suo; Ipse intendit solummodo proprii Vini venditionem; quod non solum licitum, sed societati est pernecessarium. Non valet inquam, quia quod malum non est in se, multoties efficitur malum a circumstantiis comitantibus illud; ideoque

que efformatum est commune proloquium: *Malum insurgit ex quocumque defectu*. Hinc vendere minutatim vinum, ut hospes, et peregrini, artifices, et egeni provideantur, Societati utile est, imo et necessarium. Vendere vero, ut ordinarie venditur, permittendo scilicet, ut multi in ipsamet Taberna commorentur bibendo, et ludendo, non solum non est societati utile, sed perniciosissimum, quatenus pene innumerabilium peccatorum fons, et origo. Si igitur ad animas nostras servandas Christus Dominus dixit oculum quoque eruendum esse, et dexteram manum, et pedem abjiciendum, videlicet rerum omnium temporalium, ipsiusque vitæ jacturam ferre, si hæc ruinas spirituales in nobis gignunt; quanto magis prefati Vini Venditores tenentur, aut ad temperatitiæ tramites talem vini venditionem reducere, aut a populo Christiano penitus eliminare?

VI. Quæritur denique, num Philippus ob levia furta sit sub gravi obnoxius restitutioni, et quomodo hæc sit ab ipso peragenda? Ajo in primis: utique sub gravi restituere debet. Restitutionis enim obligatio sub gravi, et ab injusta gravi acceptione, et ab injusta gravi retentione profluit. Hinc Philippi furta mensuris dolosis, quamvis seorsim sumpta levia sint; nihilominus simul collecta gravem injustam acceptionem, gravemque injustam retentionem constituunt: Sicuti enim plures comestiunculæ in diebus jejunii notabilem transgressionem præcepti efformant; ita plurima levia furta conficiunt notabile proximi dam-

damnum, ac per consequens gravem restitutionis obligationem inducunt.

VII. Posita igitur restitutionis obligatione sub gravi, methodum, qua eadem restitutio perfici debeat a Philippo, Confessarii prudentiæ adscribendam esse, reor. Ipse tamen, inspectis circumstantiis, curare debet, quod quantum fieri potest, iis restituatur, quibus ablatum fuit; vel pauperibus loci, vel minori pretio, aut majori mensura, et Ementibus favorabili, vinum a Philippo vendatur, ut propriæ consulere valeat conscientiæ.

IN OCTAVUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

Disquisitio Prima.

Sara sæpe sæpius mendaciis urget filios suos, ut Orationi mane, et vespere vacent: firmo credens peccatum non esse, quia scit mendacium officiosum in Obstetricibus Ægyptiis Deum fuisse remuneratum: Abrahamoque non imputatum ad culpam.

Quæritur Confessarii judicium?

RESOLUTIO.

I. NOn *loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*, octavo loco præcepit Deus. Quamvis autem verba hæc intelligantur de non deponendis

nendis falsis coram Judice sedente pro Tribunali, tamen velut semen in involucro comprehendunt quoque cujuscumque mendacii prohibitionem. Cum enim Sapientissimus rerum omnium Opifex creaverit hominem sociabilem, voluit etiam, ut sensoriis organis fulcitus fuisset, quibus propriæ mentis, ac cordis ideæ, nec non et arcana ad invicem fideliter communicarentur, ut societas firma, et constans perpetuo nexu inter homines perduraret. Quapropter inquiebat D. Bernardus: *Natura ipsa clamat, debere esse unitatem in corde, et in ore.* Hinc D. Thomas *Quæst.* 109. 2. 2. *art.* 3. *ad* 1. *ait. Quia homo est animal sociale, naturaliter unus homo alteri debet id, sine quo societas humana servari non posset. Non autem possent homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent tanquam sibi invicem veritatem manifestantibus, et ideo Virtus veritatis aliquo modo attendit rationem debiti.*

II. Mendacium igitur esse intrinsece malum apprime ostendit ipsius natura. Tendit enim ad decipiendum sui similem; Tendit ad obtegendam cordis intentionem: Tendit ad societatis omnimodam destructionem. Ergo nunquam licitum est mentiri. Ideo inquit Augustinus *de mendacio Cap.* 17. *n.* 34. *Proinde Raab in Jerico, quia peregrinos homines Dei suscepit hospitio, quia in eorum susceptione periclitata est, quia in eorum Deum credidit, quia diligenter eos, ubi potuit; occultavit, quia per aliam viam remeandi consilium fidelissimum dedit: etiam supernæ Jerusalem Civibus imitan-*

imitanda laudatur. Quod autem mentita est . . . non imitandum sapienter proponitur.

III. Tunc vero mentitur, inquit Augustinus Enchirid. *Cap.* 22. *n.* 7. *cum quis contra id, quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi.* Quapropter Voluntas fallendi est mendacii essentia, cum ipsius natura consistat in prolatione falsi cum deliberatione decipiendi. Voluntas autem isthæc, quia potest respicere vel proprium, aut alienum oblectamentum; vel propriam, aut alienam utilitatem; vel denique aliorum detrimentum; ideo ratione objecti mendacium dividunt Theologi in jocosum, officiosum, ac perniciosum.

IV. Mendacium ergo quodcumque sive perniciosum, sive officiosum, sive jocosum sit, ab humana societate eliminandum esse natura ipsa clamat. Quippe verba instituta sunt a natura non per quæ homines se invicem fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. *Verba ergo uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est*, inquit Augustinus *Enchirid. Cap.* 22. Sed in quocumque mendacio abutitur homo verbis a natura ad suum finem destinatis; ergo quodcumque mendacium naturæ Legibus adversatur.

V. Sara quapropter a Confessario est objurganda, utpote adversus naturæ Leges mendacii culpabilis. *Non est igitur mentiendum*, inquit Augustinus *Cap.* 2. *n.* 42. *in doctrina pietatis: Magnum enim scelus est, et primum genus detestabilis mendacii. Non est mentiendum . . . quia nulli facienda*

cienda est injuria . Non est mentiendum , quia nulli cum alterius injuria consulendum est . Non est mentiendum . . . ; propter mendacii libidinem , quæ per se ipsam vitiosa est . Non est mentiendum ..... quia nec ipsa veritas sine placendi hominibus enuntianda est ; quanto minus mendacium , quod per se ipsum , quia mendacium est , utique turpe est . Non est mentiendum .... neque enim recte etiam testimonii veritas pro cujusquam temporali commodo , ac salute corrumpitur . Ad sempiternam vero salutem nullus ducendus est opitulante mendacio .

VI. Inepte vero Sara ad divinam confugere Scripturam arbitratur . Nam de Obstetricibus , quæ apud Pharaonem in Hebræorum utilitatem mendaces fuerunt, jam responsum dedit S. Augustinus inquiens : *Hoc præmium eis datum esse , non quia mentitæ sunt , sed quia in Homines Dei misericordes fuerunt : Non est itaque in eis remunerata fallacia , sed benevolentia , benignitas mentis , non iniquitas mentientis , et propter illud bonum Deus etiam huic multo ignovit .*

VII. Deinde concedimus Abrahamum reum non fuisse delicti , dum Saram uxorem appellavit Sororem suam , quia communis est sententia , a qua recedere nefas est : At non per hoc admittimus Abrahamum mentitum fuisse . Verum quippe est ex Vulgata nostra non colligi utrum Sara fuerit revera Soror Abrahæ , prout Abraham asseruit ; de hac enim consanguinitate altum est in Vulgata nostra silentium : Ob quam caussam , ni mea me fallat opinio, puto , quod Origenes, Ambrosius ,

sius, nonnullique alii scribere non dubitaverint, Abrahamum mendacii reum fuisse. Verum vero quia Versio Septuaginta habet: *Thare genuisse ex una Vxore Abrahamum, et ex altera Vxore Saram*; ideo communis sententia est, quod Sara defacto fuerit Soror Abrahæ ex eodem Patre, non ex eadem Matre. Quapropter perspicuum est qua de caussa Abrahami assertio imputata ei non fuerit ad culpam, quia nempe quod sane erat, manifestavit. Et si prælaudati Patres Abrahamum mendacii reum fuisse scripserunt, nihil facessit negotii, cum quicumque, qui Poligottham a limine salutavit, sciat juxta Theologiæ Canones nullius esse ponderis argumenta illa, quæ Patrum authoritati innituntur, nisi Patres omnes, ne uno quidem excepto, unanimes sint.

Disquisitio Secunda.

Dianæ se accusanti patefecisse quibusdam suis amicis occultum Sempronii delictum, Confessarius imponit ablatæ famæ restitutionem. Promitit Diana, sed cum nulla alia via valeat hoc adimplere, utitur æquivocatione, certo tenens licitum sibi hoc esse, quia pluries ab ipso Christo Domino adhibitam fuisse legit in Evangelio.

Quæritur: An recte?

RESO-

RESOLUTIO

I. Quamvis mendacium, ut per se malum, omnes execrentur, non defuerunt tamen, qui conati sunt defensare licitum esse illud æquivocationibus, et restrictionibus mente conceptis obtegere, ut inter alios recensetur Diana *P. 2. Tr. 15. resol. 25.*, *et P. 3. tract. 6. resol. 30.* Æquivocatio enim est verbum ancipitis significationis. Et restrictio mentalis est verbi alicujus ancipitis sensus mente retentus.

II. Hinc æquivocationibus, vel restrictionibus mendacium obtegere, quid aliud est, quam uti ad fallendum proximum verbo ancipiti, vel restrictione mentis? Igitur æquivocationes, et restrictiones mentis quædam mendaciorum genera esse, nemo revocare potest in dubium, cum mendacium sit quidquid ad fallendum proximum profertur verbis significantibus aliud, quam quod mente concipimus, ut probavimus *n. III. Disquis. antecedent.*

III. Quapropter æquivocationem, ac restrictionem mentalem a Christiana simplicitate exterminandas esse ipsarum natura satis ostendit. Et sane nonne quidquid proximo affert injuriam, ut noxium, ac homini sociali prorsus indignum est reputandum? Ita sane demonstrat principium illud humanæ menti insculptum: *Quod tibi non arridet, ne facias proximo tuo.* Atqui proximum verbis fallere, ut fit in omni mendacio non solum, verum quoque in æquivocatione, est genus quod-

dam injuriæ; cum unusquisque jus habeat ex receptis apud omnes homines Legibus, ut sibi interroganti, nonnisi vera respondeantur, et merito conqueri potest, quoties fallitur verbis; Ergo æquivocationem, ac restrictionem mentalem cane pejus, et angue execremur oportet. Merito quapropter iterum, et tertio Innocentius XI. Propositiones 26. 27. et 28. solemni anathemate proscripsit.

IV. Diana igitur ad suum exequendum debitum uti non valet æquivocatione. Æquivocatio enim est quoddam mendacii genus: Quodcumque mendacium est ex se malum, humanæque societati adversum; Ergo nulla ratione quantumvis optima potest æquivocatio cohonestari.

V. Christi vero exempla, quibus Diana innititur, duo præcipue inveniuntur in Evangelio. Unum dum *Marc. Cap.* 13. Apostolis de extremi Judicii die quærentibus, respondit. *De die autem illa, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater*. Alterum *Joan. Cap.* 7. quando rogantibus Fratribus suis, ut ad diem Festum ascenderet, dixit: *Vos ascendite ad diem festum hunc: Ego autem non ascendo ad diem festum istum*; qui tamen postea ascendit. At si ad sua principia exempla ista reducantur, omnis evanescit æquivocatio. Ideo enim diximus mendacium, æquivocationem, ac restrictionem mentalem illicitas esse, atque ab homine rationali eliminandas, quia his decipitur proximus, civilique Societati damnum infertur, ac proinde deflectitur
ab

ab illa loquendi rectitudine; quam a nobis natura, Evangelium, humanumque commercium exposcit. Sed in allatis Christi exemplis assignari non potest ulla deceptio; ac proinde hisce in exemplis nullum fuit Christi mendacium, nulla æquivocatio, nulla mentalis restrictio.

VI. Et quoad primum exemplum, quamvis propositio illa: Se nescire Judicii diem, duplicem sensum posset induere, nempe quod nesciret absolute, et quod nesciret ut homo; Nullum tamen Christus habebat fallendi animum, et insimul Discipuli facile germanum illius sensum retegere poterant, nescire illum, ut homo erat, quia statim addidit: Patrem vero scire diem illum: Unde cum Discipuli certo crederent Christum, quatenus Deus erat, esse unum, eumdemque Deum cum Patre, audiendo Patrem scire diem illum, de facili retegere poterant verum illorum verborum sensum. Quapropter ex illo Christi responso nedum amphibologiam, sed neque Apostolos fallendi periculum eruere potest Diana noster ad suam caussam defensandam.

VII. Nequidem ex altero exemplo quit aliquid in sui patrocinium Diana deducere. Cognati enim Christi ex adjunctis circumstantiis non poterant non dignoscere, quo sensu Christus negavit se ad illum diem festum ascensurum. Enim vero rogabant ipsum, ut palam ascenderet dicendo: *Transi hinc, et vade in Judæam, ut et Discipuli tui videant opera tua, quæ facis: Nemo quippe in occulto quid facit, et quærit ipse in palam esse. Si hæc facis, mani-*

manifesta teipsum mundo. Ex quibus verbis omnibus perspicuum est, atque manifestum publicam Christi Ascensionem fuisse hujus sermonis objectum, ac ipsorum desiderium, et Votum. Unde Christus de hac publica ascensione solummodo dare debebat, ac dedit responsum, uti ipsius verba demonstrant. *Dixit ergo eis Jesus; Tempus meum nondum advenit: Tempus autem vestrum semper est paratum .... Vos ascendite ad diem festum hunc; Ego non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est*. Quis illorum, quæso, tam hebes esse poterat, quin de facili intelligeret, illum publice non ascensurum, prout ipsi rogabant? Non igitur fallaciam, non amphibologiam, non restrictionem mentalem factis suis comprobavit Christus Jesus, ut Diana nititur demonstrare.

VIII. Diana igitur ab oppositis ventis agitatus, et Carybdim inter, et Scyllam oppressus quid faciet? Justitia quapropter ex una parte exposcit, ut ipse in integrum Sempronii famam restituat. Ex altera Societas, Lexque divina exigunt, ne proximus unquam mendacio quocumque decipiatur. Quid ergo dicemus Dianæ, ne perimat in Scylla, cupiens evitare carybdim? Agendo de Septimo Decalogi Præcepto indicavimus, quod in practica morum disciplina tres sint veluti aureæ Regulæ, a quibus nunquam est decedendum; nempe, Scriptura, Traditio, atque his deficientibus Peritorum Judicium. Unde cum de hac restituendi famam ratione nec Scriptura, nec

Tra-

Traditio regulam aliquam nobis aperte subministrent, ad Peritorum judicium confugimus.

IX. Hinc Doctor Angelicus *secunda secundæ quæst. 62. art. 2. ad 2.*: Et Subtilis *Dist. 15. quæst. 4.* præscribunt: Dianam obstrictum esse adire Amicos suos, ipsosque certiores reddere perperam de Sempronio facinus illud dixisse, injusteque ipsum diffamasse. Cajetano vero, et Navarro Methodus hæc non arridet, utpote tendens ad magis magisque Sempronii infamiam confirmandam; Quamobrem consulunt compensationem, Sempronii virtutes citra mendacium sæpe exaltando. Nos vero quia firmo credimus, quod si Peritis in arte, multo magis Peritioribus sit adhærendum, censemus valedicere Cajetani, Navarrique opinioni, quatenus vel includit mendacium, vel est insufficiens ad priorem extinguendam infamiam; ac proinde D. Thomæ, Subtilique Doctori subscribendum esse, quia defacto adversus justitiam egit, dum occultum Sempronii crimen patefecit.

Disquisitio Tertia.

Leander Confessarius, ut consulat famæ, ac vitæ Fulviæ nobilis Puellæ, quæ læthali peccandi consuetudine laborat, simulat sacramentalem absolutionem ipsi impertiri, et Eucharisticam Hostiam in ejusdem os immittere.

Quæritur: Quid de hac simulatione dicendum?

RE.

RESOLUTIO

I. DE Simulatione Sacramentorum usque ad sæculum undecimum altum apud Ecclesiæ Patres, et Scholarum Theologos silentium. Christi enim Sacramenta veteris Testamenti arca infinite sanctiora, illorum temporum Fideles adeo religiose credebant, atque venerabantur, ut quidquid eorumdem majestatem vel leviter temerare potuisset, cane pejus, et angue abhorrerent. Hinc ut dignum Sacramentis cultum præstarent, non Aristotelis organo, sed Evangelio studebant, non distintiuncularum, et disputationum farragine, sed pietatis operibus in odorem suavitatis omnem collocabant operam, ne in Sacramentorum perceptione ludificarentur, et judicium sibi manducarent, et biberent. Sæculo vero undecimo Aristotelis genium Christianas Scholas undique pervasit, atque captivavit; placuitque de quocumque Religionis dogmate in utramque partem juxta dialecticæ regulas disputare. Tunc quæstiones quæstionibus agglomerari cæpere; tunc exorta opinionum dissidia, et Scholarum bella magis magisque excruduere. Eo tempore hujusce Disquisitionis caussa ortum suum duxit.

II. Presbyter quidam Diæcesis Turonensis in Gallia peccati læthalis sibi conscius, ut in Missæ celebratione sacrilegium declinaret, panem, et vinum, suppressis, atque omissis consecrationis verbis, offerebat, sumebatque. Post aliquod tem-

temporis spatium Presbyter miserentis Dei gratia perculsus, rem omnem Cathedralis Ecclesiæ Pœnitentiario aperuit; qui ob Casus novitatem judicium suspendens, juxta illorum temporum disciplinam, suppresso Pœnitentis nomine, Episcopum Turonensem consuluit, ut juxta Canones pœnitentia imponeretur. Episcopus et ipse anceps, vicinioribus Episcopis, et præsertim Dolensi discutiendam difficultatem exhibuit, qui in oppositas opiniones abeuntes, scholasticis argumentationibus, et distintiunculis rem magis magisque implicarunt. Hæc controversia usque ad Innocentium III. Romanum Pontificem perduravit. Ad hunc Pontificem quapropter doctrina, rebusque gestis in ecclesiastica Historia celeberrimum; (nam sub ipso incæpere Ordines SS. Fsancisci, et Dominici; et ipse pluribus egregie scriptis, atque Hymnis, et præsertim: *Veni Creator Spiritus: et Stabat Mater*, Ecclesiam illustravit) Ad hunc inquam Pontificem ob ejus sapientiæ famam Turonensis Presbyteri controversia delata fuit; qui Presbyteri simulationem condemnavit, declaravitque simulationem hanc in Sacramentis graviorem esse culpam, quam sacrilegam eorumdem administrationem, et perceptionem: Nam ut ipse scribit. *Per sacrilegium Deus graviter illuditur: Per simulationem illuduntur Deus, et Populus.*

III. Ex hoc Innocentii III. Decreto de Sacramentorum simulatione lis tota in Turonensi, et Dolensi Ecclesia terminata fuit; obdormivitque usque ad annum 1625. Eo tempore Carthagine, nunc

nunc *Tunisi* usus inoleverat, quod Turcæ, ut puerulos suos liberarent a morbo comitiali, a venenatis Belluarum morsibus, et a maleficiis, eos baptizandos deferrent ad Missionarios Sacerdotes, minitantes mortem iisdem, nisi Baptismum suis pueris ministrarent. Hinc Missionarii, ut a mortis periculo sese liberarent, et Sacramenti dignitati consulerent, aquam super caput Puerorum fundebant, quomodo in Baptismate fieri solet; at formam nullatenus pronunciabant; atque ita Baptismum simulantes, Turcis, et sibi satisfecisse credebant. Verum de hac praxi inter Missionarios controversia exorta ad sacram Inquisitionem scriptum fuit, ut controversiam dirimeret. Re mature discussa, et habita Congregatione coram SS., decretum fuit. *Missionariorum praxim sacrilegam esse; quia Baptismus est Ianua Sacramentorum, ac protestatio fidei, quæ nullo omnino modo fingi potest*.

IV. En iterum simulationem Sacramentorum redivivam, iterumque ad tartara dejectam. Sed breviter obdormiens tertio in scænam Scholasticis facis larvata post quinquaginta annos tempore Innocentii XI. apparuit.

V. Nam Ioannes Sanchesius, Scilderius, aliique simulationem hanc aliquando licitam palam propugnare cæpere. Ut adversus supra recensitas declarationes Innocentii III. et Supremæ Inquisitionis sese tuerentur, ad distintiuncularum cuniculos confugerunt. Simulationem a fictione, et occultatione distinguunt: Secernunt simulationem in

in formalem, et materialem, et utramque in simpliciter, et secundum quid. Hisce perridiculis, atque operosis verborum lusibus concludunt simulationem formalem semper vetitam; nequaquam vero materialem, præsertim si metus gravis urgeat. Sanchesii, et Scilderii Thesim: *Vrgens metus gravis est caussa justa Sacramentorum administrationem simulandi*; nec non suarum distintiuncularum apparatum solemni anathemate Innocentius XI. proscripsit, decernens quamlibet simulationem abusum esse spiritualis potestatis, quam Christus concessit non ad simulandum, sed ad sanctificandas animas. En historia hujus controversiæ, et Sacramentalis administrationis narratio, origo, fortuna, fatum, necnon hujus Casus decisio:

VI. Leandri actio, qua fingit Hostiam in os Fulviæ immittere, est simulatio administrationis Sacramenti: simulatio hujusmodi iterum, et tertio ex supra narratis gravissimum est scelus; igitur gravissime peccat Leander noster hujusmodi simulationem adhibens.

VII. Sed quid faciet Fulvia? Si vere communicet, sacrilegium patrat: si nullomodo communioni accedat, in famæ, et vitæ discrimen adducitur. Respondeo: Quid faciant Missionarii Turcis superstitiose pro suis Puerulis Baptisma postulantibus nudato ense? Moriantur potius, quam simulent: est Ecclesiæ Decretum. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, sed potius timete eum, qui potest et corpus, et animam perdere in ge-*

gehennam: Sunt Christi oracula. Hisce obediat Fulvia, contemptis scholasticis subtilitatibus, et humanæ prudentiæ terriculamentis.

VIII. Cætera Sanchesii, Scilderii argumenta, quibus Leandrum nostrum a simulationis crimine defensare conantur, discutere nolumus. Nimis enim hoc operosum foret, nulliusque utilitatis. Adversus quippe Ecclesiæ Decreta perridiculosa sunt humanæ rationis tentamina. Exemplo id comprobemus. Ex Domo Abinadab in Gabaa deferebatur Arca Dei in Civitatem David. Cumque super Arcam Nachor conscenderet, recalcitrantes Boves declinaverunt plaustrum, itaut Arca Dei in terram ruere videretur. Oza illico manum extendit, tenuitque Dei Arcam, ne collaberetur. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritate, et mortuus est ibi juxta Arcam Dei. Sciscitor nunc quid mali, quid criminis in hac Ozæ actione humana ratio expiscari possit? Nihil omnino: Quinimo nonnisi pietatem, et religionem. Attamen gravissimum scelus fuit, et sacrilega temeritas, adversus quam iratus est Dominus indignatione, et Ozam morte percussit. Ita quoque Sacramentorum simulatio in humanæ rationis statera innocens aliquando videri potest. At ad stateram Sanctuarii appensa est scelus gravissimum, et sacrilegus abusus potestatis supernaturalis, quam Christus concessit non ad simulandum, sed ad sanctificandas Animas, prout Innocentius XI. declaravit.

VIII. Veniamus ad secundam ejusdem Casus par-

partem, nempe ad Leandri simulationem, qua Fulvia absolvere finxit. Hæc Leandri actio nullomodo simulatio dici potest. Sacerdos enim in Tribunali Confessionis sedens est Judex a Christo Domino positus, ejusque nomine potestatem ligandi, atque absolvendi exercens. Si igitur aliquos ligat, hoc est, vere non absolvit; non fingit, non simulat, sed potestate utitur, quam Christus concessit. Occultare enim hujus potestatis usum sub gravi tenetur triplici jure, nempe, naturali, ecclesiastico, atque divino imperante. Non est igitur simulatio, sed occultatio: Non est crimen, sed actus obedientiæ, qua Christo, Ecclesiæ, et Naturæ Leander obsequitur, dum Fulviam non absolvit, sed manu dumtaxat benedicit, ne arcanum sacramentale adstantibus reveletur.

Disquisitio Quarta.

Aristippus crimen morte plectendum commisit; at quamvis apud Judicem per legitimos Testes sit convictus, negat tamen metu mortis: Hinc objurgatur a Confessario de tantæ reticentiæ obstinatione. Ipse vero se excusat, ac tuetur Christi exemplo, qui, ut Joan. Cap. 19. *legimus, interrogatus a Pilato responsum non dedit ei.*

Quæritur: An ipsi adhærere valeat Confessarius?

RE-

RESOLUTIO.

1. NEmo in dubium quit revocare teneri alicujus criminis reum a Judicibus tum Laicis, tum Ecclesiasticis secundum juris ordinem interrogatum candide, et seclusa quacumque ambiguitate, vel mentis restrictione, responsum dare, quemadmodum clarissime a Tridentini Concilii Catechismo præcipitur. Judex enim in iis, quæ ex ordine juris præscribuntur publicum organum est, ac instrumentum; ac per consequens summum habet jus præcipiendi, ut crimina patefiant. Hoc exposcit Respublica, exigit justitia, naturalisque ratio dictat; ut membrum aridum, putridumque rescindatur a Planta, ne cæteri rami infectionem ab ipso recipiant: Atqui jus præcipiendi in Judice legitimo, et obligatio obediendi in reo ita sunt inter se connexa, ut unum sine altera stare non valeat: Ergo si in Judice est summum jus præcipiendi delicti manifestationem, necesse est, quod et interrogationem subsequatur respondendi obligatio; ac per consequens, quod reus habeat onus candide, ac ingenue, et sine æquivocatione, vel mentis restrictione confitendi veritatem; ita ut absque læthali culpa veritatem aut celare, aut aliquo modo imminuere non valeat. Quapropter Angelicus Doctor 2. 2. *q. 69, art. 1.* docet: *Quicumque facit contra debitum justitiæ, mortaliter peccat. Pertinet autem ad debitum Justitiæ, quod aliquis obediat suo Superiori in his, ad quæ jus prælationis se extendit: Judex autem Superior est respectu*

ejus, qui judicatur; Et ideo ex debito tenetur accusatus veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit; Et ideo si confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat.

II. Diximus tamen servato juris ordine. Tam enim pernecessarius est Juris ordo, quodque tribus hisce conditionibus fulcitus existat, ut una deficiente, juris ordo desinat, Iudexque illegitimus extemplo evadat. Prima est, quod interrogans verus sit, ac legitimus Judex. Hinc si Clerici interrogarentur a Judice sæculari, juris ordo subverteretur, quia Sæcularis non valet esse in Clericos Judex competens, repugnatque, quod Pastores Ovibus, res divinæ prophanis sint subjectæ. Secunda est, ut delictum sit plene, vel saltem semi-plene probatum. Tunc vero delictum semiplene probatum dicitur, dum per unum Testem oculatum, omnique exceptione majorem, vel per indicia æquipollentia, aut per infamiam est plene probatum. Tertia tandem, quod probatio jam in processu sit inserta, reoque notificata, ut ipsum non lateat teneri ad obediendum Judicis mandato.

III. Cum igitur Aristippus sit jam per legitimos Testes convictus, debet etiam cum discrimine vitæ confiteri veritatem, quia Judex supponitur legitime constitutus; nec Christi exemplum suppeditare sibi potest aliquam excusationem. Ideo enim Christus responsum Pilato non dedit, quia Pilatus nullam super ipsum legitimam habebat auctoritatem: ac ad illum interrogandum accessit

absque

absque eo quod juris ordinem servasset: Tantumve abfuit, ut indicia contra Christum clamarent, quinimmo Mores, Charitas, innocentia, benignitas, Sapientia, Miracula a quacumque minima labe immunem omnino prædicabant. Atqui nihil horum verificatur in Aristippo nostro; ergo Aristippus semetipsum excusare Christi exemplo haud valet.

IV. Ad hanc vero assertionem labefactandam non desunt Casuistæ quidam unum jaculari principium. Dicunt nempe: Quilibet jus habet ad vitam suam servandam, et nemo tenetur prodere seipsum. Unde concludunt: Nemo etiam pro Tribunali juridice rogatus crimen fateri debet. Perbelle quidem! Sed nego hominem capitalis criminis reum habere jus in vitam suam servandam; Jus enim hoc tunc amisit, quando scelus patravit. Unde non semetipsum prodit cum a legitimo Judice rogatus veritatem fatetur: Sed prodidit semetipsum cum facinus commisit. Falsum est igitur principium illud, nempe, homines capitalibus sceleribus inquinatos jus habere ad vitam servandam suam; et argumenta omnia Casuistarum, quæ tam labili innituntur fundamento, oculi ictu ocius evanescunt.

Disquisitio Quinta.

In quodam Tribunali gravis agitur Caussa de occulto facinore, quod si vel leviter Patritius detegat,

tegat, prævidet certissime se, et alios morte condemnatum iri. Sempronius Accusator Judicem urget, ut veritatem a Patritio, juramentum quoque exigendo, extorqueat. Tam vero Sempronius, quam Judex suspicantur vehementer Patritium perjuraturum.

Quæritur 1. An Sempronius, et Judex cum hac suspicione licite a Patritio juramentum exigant? 2. Quid Patritius agere debeat?

RESOLUTIO.

I. DUo hoc in Casu perquiruntur, Primum: Utrum Sempronius, et Judex suspicantes vehementer fore, ut Patritius perjuret, possint licite ab eodem juramentum exigere. Secundum: Quid agendum sit Patritio, qui si verum jurat, certo præscit, se, et alios morte condemnatum iri. Duobus hisce Quæstionibus faciemus satis, si Juramenti finem, ejusque dignitatem, quam suo loco demonstravimus, iterum accurate perpendamus.

II. Finis igitur, ob quem juramenta exiguntur, est confirmatio Veritatis. Qui igitur jurat, aut juramentum expostulat, et hanc confirmationem veritatis non intendit; absque, et frustra jurat, assumitque nomen Dei in vanum; quod gravissime in secundo Decalogi Præcepto prohibetur.

III. Dignitas autem Juramenti ex ejusdem natura patefit. Est enim Divini Nominis invocatio, qua Deus ipse testis, fidejussor, et Sponsor nostrarum assertionum appellatur, atque constituitur.

tur. Deus veritas est, et ideo mendacium infinito odio prosequitur. Juramentum igitur, quo quis ad veritatis confirmationem Deum invocat Testem, est actus Religionis, et Divinæ Naturæ conformis. Perjurium vero, quo ad mendacium confirmandum Testimonium divinum usurpatur, est actus ex diametro Religioni oppositus, et Dei naturam penitus subvertens. Quare sicuti nunquam fieri potest, ut perjurium Religioni, et naturæ Dei non opponatur; ita quoque nulla dari potest circumstantia, in qua perjurium liceat. Hinc in Concilio Constantiensi, et peculiari Martini V. Decreto sancitum fuit, ut ii omnes, qui ab hæresi ad Catholicam Ecclesiam veniebant in Communionem non reciperentur, nisi prius faterentur: *Quod Perjurium scienter commissum ex quacumque caussa, etiam pro conservatione vitæ corporalis propriæ, vel alterius, sit mortale peccatum.*

IV. Ex hac doctrina tria necessario deducuntur. Primum: Sempronius exigens juramentum a Patritio, quem scit perjuraturum, nequit confirmationem veritatis obtinere, seu finem juramenti intendere non potest. Sed juramentum absque fine exigere, perinde est ac usurpare frustra, et in vanum Sanctissimum Dei Nomen, quod gravissimum est peccatum; ergo absque gravissimo peccato nequit Sempronius a Patritio exigere juramentum, si prævideat ipsum perjuraturum.

V. Secundum: Judex in iis, quæ ex ordine juris præscribuntur, est publicum organum, et instru-

instrumentum; scilicet non operatur proprio marte, et ad libitum sui; sed ea omnia, quæ juris ordo expostulat, et accusatores judicialiter exigunt, necessario, et adamussim exequi debet. Sicuti ergo Satellites ex Superiorum mandato licite in vinculis conjiciunt, et ad Triremes quoque illos ducunt, quos innocentes suspicantur, aut etiam certo cognoscunt; ita quoque Judex licite Juramentum potest, et debet ab eo, quem prævidet perjuraturum, exigere. Quippe hi omnes publica sunt instrumenta, quæ non propria voluntate, sed alterius operantur.

VI. Tertium: Ex juramenti natura, et ex Decreto Concilii Constantiensis, et Martini V. læthaliter peccat, qui ad vitam propriam, et aliorum conservandam falsum jurat: ergo Patritius a Judice legitime interrogatus falsum dicere, et jurare licite non potest, etiamsi prævideat, quod veritate patefacta, certissimam mortis pœnam sit ipse subiturus.

VII. Ex his cuilibet perspicue patet, quid expositis Quæstionibus sit respondendum. Verumtamen cum in iisdem quædam veluti involutæ circumstantiæ complicentur, quæ peculiaribus indigent observationibus: Necnon cum in iisdem dirimendis quidam Casuistæ falsis abrepti principiis, in contrariam opinionem prolapsi sint; ideo ad integram Casus discussionem quædam peculiariter enucleabimus, et contrariam sententiam breviter, et invicte refellemus.

VIII. Quamobrem dixi Judicem licite juramentum a Patritio exigere, quamvis eumdem perjuraturum præsentiat. Hic animadvertendum tamen est duobus modis evenire posse, ut Patritius a Judice interrogetur; scilicet vel ut reus, vel ut Testis. Si Patritius ut reus ante Tribunal inquisitus sistat, nequit Judex ab eodem exigere Juramentum; aliter acta omnia ipso facto irrita, et cassa sunt, et quocumque effectu carentia. Ita statutum est in Concilio Romano sub Benedicto XIII. *Cap.* 2. *Tit.* 13. ubi legitur *Nos . . . juramentum ipsum per reos sic criminaliter inquisitos præstandum, consulto, dum uti principales tantummodo constituuntur, tollendum, et submovendum ducimus, prout sacro etiam approbante Concilio, præsenti hac Constitutione omnino tollimus, ac submovemus. Nec juramentum hujusmodi ullatenus a reis eisdem, nisi tamen ut testes quoad alios examinentur, in futurum per quoscumque Judices, et Ministros sub quovis prætextu, caussa, et quæsito colore volumus, exigatur; Alias examen, sive constitutum, et acta omnia nulla sint eo ipso, et irrita, omnique careant contra reos effectu*. Sin autem Patritius ut Testis examinetur, potest quidem Judex juramentum ad præscriptum Legis ab eodem expetere, etsi conspiciat ipsum ad perjurandum paratum. Serio tamen Judex eumdem admoneat, quam enorme scelus sit Sacrosanctum Dei Nomen perjurio polluere; ac insuper omnem lapidem movere debet, ut caussam aliquam, exceptionemque reperiat, qua ab exigendo juramento jure abstineatur,

atque

atque ita perjurii periculum evitetur. Quod si nulla pateat via, qua Perjurium Patritii impediri queat, nulla ratione hoc perjurium Judici imputabitur. Non enim imputanda sunt ea, quæ quis impedire nequit.

IX. Dixi quoque Patritium absque læthali culpa non posse apud Judicem mentiri, multoque minus falsum dare juramentum, quamvis præsentiat ex confessione veritatis propriam, et aliorum vitam summopere periclitari. Hic quoque duplicem Casum distinguo. Scilicet: Vel delictum, quod Judex a Patritio sciscitatur, est omnino occultum, vel non. Si penitus occultum est; Patritius non debet illud in judicio confiteri, et potest licite etiam juramento testari sese, et alios, de quibus interrogatur, innocentes esse: Neque hæc dicens, aut mendax est, aut perjurius. Ratio patet quam maxime. Etenim Judex non potest procedere, nisi in iis, quæ aliquo modo manifesta sunt, et saltem semiplene probata. (Disquis. 4. n. 2.). Si aliter facit, illegitimus est: Atqui apud Judicem illegitimum possumus licite jurare nos nescire etiam id, quod vere scimus; nam in hoc casu verbum *Nescio* ex communi humanæ societatis consuetudine idem significat, ac *Nolo revelare tibi, quia Judex illegitimus es*. Itaque sicuti Confessarius licite jurat se non audivisse id, quod vere in confessione audivit; quia nullus est Judex legitimus, qui hisce de rebus Confessarium queat interrogare; ita quoque Patritius, si a Judice illegitime perquiratur, licite potest

potest jurare a se penitus nesciri quæcumque ad facinus illud spectant: necnon se, et alios, de quibus illegitime exflagitatur, innocentes esse. Sin autem facinus omninò occultum non sit; sed aut ex circumstantiis, et conjecturis, aut ex publica voce, et fama, sit semiplene probatum; tunc Patritius absque gravissima culpa nequit veritatem aut celare, aut imminuere; sed nitide, et aperte eamdem debet manifestare. Quippe in hac hypothesi Judex ad Legum normam procedens legitimus est, habetque propterea summum jus præcipiendi, ut crimina patefiant. Jus autem præcipiendi in Judice legitimo, et obligatio obediendi in reo, et Testibus sunt correlativa, itaut unum sine altera stare nequeat. Igitur sicut in Judice adest summum jus præcipendi veritatis confessionem, ita quoque Patritius habet obligationem gravissimam clare, et nitide veritatem aperiendi; ita ut absque læthali culpa veritatem aut celare, aut quacumque tergiversatione imminuere non possit.

X. Dixi denique ad hanc assertionem labefactandam quosdam Casuistas jaculare rancidum jam illud principium, quod nemo teneatur prodere seipsum. Sed jam huic argumento satisfecimus plusquam satis in superiori Disquis. n. 4.

XI. Hinc paucis Casus solutionem comprehendamus. Nequit licite Sempronius Judicem urgere, ut a Patritio juramentum exigat, si vehementer suspicatur fore ut Patritius perjuret. In hac enim hypothesi absque ullo fine juramentum exqui-

exquiritur, ac propterea frustra, et in vanum Sanctissimum Dei Nomen usurpatur, quod enorme est scelus contra secundum Decalogi Præceptum. Judex autem, etsi præsciat Patritium perjuraturum, licite eumdem juramentum exposcit, dummodo jus id exigat, et Patritius non ut reus, sed ut testis examinetur. Quippe in hisce circumstantiis Judex propria voluntate non operatur. Denique si crimen penitus occultum sit, potest Patritius jurare, quomodo Confessarius, sese in summa ejusdem facinoris ignorantia versari. Sin vero crimen ex aliqua conjectura, aut semiplena probatione suboleatur, debet etiam cum evidenti vitæ suæ, et aliorum periculo crimen fateri. Quod ex Concilii Constantiensis a Martino V. Summo Pontifice confirmati Decreto, necnon ex evidenti ratione invictissime ostenditur.

Disquisitio Sexta.

Cæsarem proditione, et clam occidit Brutus, qui sub juramenti religione de secreto servando uni Lucio amicissimo facinus revelavit. Ex gravissimis suspicionibus Octavius veluti homicidii reus in carcerem conjectus est, ubi ob circumstantias semper difficiliores a longo tempore marcescit extrema ipsius, et familiæ pernicie, et periculo.

Quæritur: Quid Lucius, quid Brutus debeant?

RESO-

RESOLUTIO.

I. AMicitiæ officia divino, naturalique jure adeo sacra, et sancta sunt, ut si eadem lædi fas esset, non modo Civilia Imperia, verum quoque quælibet Religio labefactetur oporteat. Deus qui est omnis juris scaturigo, et robur, Deus, inquam, Charitas est: nempe dilectio, et amicitia. Hinc scriptum est: *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo; et proximum tuum, sicut teipsum*. Ex hisce duobus universa Lex pendet, et Prophetæ: scilicet, Jura omnia humana, et divina. Propterea Christus Dominus veram, sinceramque amicitiam posuit totius Eclesiæ veluti fundamentum, et signaculum, quo Oves suas a Lupis secernerentur. *In hoc cognoscent omnes*, præcepit, *quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*.

II. Amicitia quoque Civilia Imperia fundavit, et sarta tectaque servat: Hæc enim prima homines in societatem copulavit, Leges sancivit, inivit fœdera, et docuit mutuis auxiliis Homines sibi opitulari. Hinc Nationes, quibus amicitiæ jura aut nulla, aut debilia sunt, cujusmodi extant nonnullæ in America, et Affrica; ferinam agunt vitam silvestrem, barbaramque. Hinc quoque si mutui amoris, seu Amicitiæ vinculum in Nationibus quoque cultis vel tantillum abrumpatur, quot ex historia scimus civilia bella, clades, exterminia emergere, uti hisce diebus satis ostendit hor-

horrendus Gallorum cataclysmus, quem suspiriis, ac gemitibus necesse est deploremus? Adeo verum est: Omne Regnum in se divisum, nempe, in quo amicitia evanuit, desolari oportere.

III. Ex hac demonstratione illud derivatur, nempe Amicitiæ jura, et Officia publica esse, et cum bono publico semper copulata. Hinc Fides inter Amicos sacra nec violari potest, quin saltem clanculum injuria bono publico inferatur.

IV. Hisce positis en brevis hujusce Casus resolutio. Octavii in Carcere detentio, ejusque familiæ calamitates sunt privata mala. Fides inter Amicos servanda ad bonum publicum spectat: Atqui mala privata bono publico cedere debent; ergo Lucius secretum servare tenetur amico suo Bruto, quamvis Octavius innocens carcere marcescat, ejusque familia calamitatibus opprimatur.

V. Verum vero debet Lucius modis omnibus hortari, atque cogere Amicum suum Brutum, ut obligationibus suis erga Octavium innocentem adamussim satisfaciat; nempe, ut illata Octavio, et Familiæ damna adamussim rependat, ut nummis, muneribus, et Potentum favore incumbat pro sollicita Octavi liberatione. Hæc in Bruto exigit Justitia, quæ vult, ut indemnis reddatur ille, qui nostra operatione læsus fuit. In Lucio vero stricta charitas exposcit, et Lex divina, et humana præcipit. Sufficiat, quod in Jure Canonico habetur *Dist.* 83. *c.* 3. *Error, cui non resistitur, approbatur .... nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.*

VI. De-

VI. Denique si casu fiat, quandoquidem nostro tempore difficillimum est, ut Octavius morte damnetur; illico debet Brutus Judicibus scelus suum patefacere, et sese occisorem Cæsaris manifestare. In hoc enim discrimine jura inæqualia sunt. Majus nempe jus ad vitam habet Innocens, quam Reus; Dum autem juria sunt inæqualia, minus jus cedere debet majori. Tenetur igitur Brutus reus vitam suam prodere, ut vitam servet Octavii innocentis; prout fuse demonstravimus, cum de Quinto Decalogi Præcepto pertractavimus.

IN PRIMUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.

Disquisitio Unica.

Vocibus, et sonis modulatis solemniter celebratur Missa die Dominico quadam in Ecclesia, quam Servius ingreditur musicos concentus audiendi gratia; Ideo longe ab Altari stat, tum ut commodum obtineat locum, cum quoque ut melius harmonia perfruatur. Servius eo die nullam aliam audit Missam, sicut plures ex Cantoribus, et Sonatoribus.

Quæritur: An omnes Isti satisfecerint Ecclesiæ Præcepto?

RESOLUTIO.

I. HOc in casu inquiritur, utrum Servius, qui totus in eo fuisse videtur, ut perfrueretur musi-

musicis concentibus, quibus solemniter Missa celebrata est; tam etiam Sonatores, Cantoresque Ecclesiæ Præcepto de audienda Missa satisfecerint. Ut hujus Quæstionis solutio in suo lumine ponatur, illud observo, quod videlicet, ut quis huic Ecclesiæ mandato vere obtemperasse dicatur, requiritur, ut Missæ auditioni adsit corporaliter, et moraliter, ut Theologorum vocabulis utar. Præsentia corporalis expostulat, ut saltem in loco immediate cum Ecclesia conjuncto quis ita præsens sit, ut cum cæteris Missæ adstantibus in genuflexionibus, adorationibus, aliisque cæremoniis facile sese conformare possit. Præsentia autem moralis exposcit, ut hæc præsentia sit actus humanus. Et cum actus humanus sine intentione saltem virtuali, atque attentione debita fieri nequeat, perspicuum est hac præsentia morali illos penitus carere, qui lapidum, aut canum more sine intentione, atque attentione Missæ Sacrificio intersunt. De his peculiariter interrogandi sunt Servius, Musici, et Sonatores. Nempe, sciscitandum est, utrum iidem in loco steterint, ubi commode religiosas cæterorum Auscultantium actiones saltem conspicere, atque imitari potuerint: utrum saltem in Missæ exordio intentionem habuerint aliquam Missam Christiano more audiendi: Utrum denique voluntariis distractionibus dederint operam. Si aliqua ex hisce tribus conditionibus debitam præsentiam constituentibus in iisdem desideretur, veluti Ecclesiastici Præcepti transgessores condemnandi sunt. Sin autem omnibus

nibus illis obligationibus quantum fieri potuit accurate functi fuerunt, dico Ecclesiæ mandato omnes fecisse satis, quamvis Servius præsertim, et Sonatores per totam pene Missam harmonicis characteribus legendis, exequendisque tota attentione incubuerint.

II. Hanc assertionem tueri cogor ex eo quod per plura Ecclesiæ sæcula unica dumtaxat Missa usu celebrari solebatur, ad quam omnes audiendam sub gravi obligatione convenire debebant. Hæc autem semper, plurimis Cantoribus Hymnos, et Psalmos modulantibus, peragebatur. Cantores idcirco aliam audire Missam nequibant; et ideo quamvis per totam Missam ad musicas consonantias efformandas omni attentione incumberent, tamen Præcepto Ecclesiastico satisfaciebant.

III. Scio nostris præsertim temporibus in ecclesiasticam musicam abusus irrepsisse pene execrabiles. At eamdem penitus condemnare non audeo. Hanc enim veluti divinitus institutam commendarunt semper Ecclesiæ Patres. Nam Christus Dominus *hymno dicto*, seu prout in Versionibus græca, et syriaca legitur, *Hymno cantato*, Eucharistiam instituit, distribuitque. Sanctus Marcus ex Eusebio, et Philone Ægyptios Christianos Psalmos in sacra Synaxi peragenda modulandos, edocuit. D. Paulus Collosenses iterum et tertio hortatur, ut Hymnorum cantum non negligerent, dum Dominici Sacramenti memoriam celebrarent. Hunc quoque usum Dionysius Areopagita *Cap.* 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ plurimum com-

commendavit; Et Romani Pontifices semper plurimi fecerunt, atque sæpe sæpius melioribus modulationibus instaurari curarunt. Tertio Ecclesiæ Sæculo publica instituta fuerunt Gymnasia, in quibus, qui idonei erant canticum Ecclesiasticum addiscebant, et eorumdem Magistri *Primicerii* dicti sunt. Denique Hilarianos, Ensicianos, Petrobussianos, Arianosque cantum in Ecclesia, et a Missæ Sacsificio proscribentes, acerrime confutarunt Ambrosius *lib.* 5. Et Basilius *Ep. 69.* Ac nuperrime Wicleffum, atque Trinitarios eumdem errorem renovantes Concilium Constantiense anathemate confodit,

IV. Ex his omnibus igitur prudens Confessarius datis occasionibus efficere studeat, ut quod Ecclesia semper venerata est, ab irreptis abusibus, quantum fieri potest, liberetur; Nec non objurgare non erubescat nonnullos effeminatos homines, qui functiones sacras, præsertim ubi Musicas artificiis perfrui volunt, nimiis irreverentiis solent prophanare.

IN SECUNDUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.

Disquisitio Prima.

Zacchæus quadragesimæ tempore obtinuit dispensationem edendi carnem ob certam experientiam, quod oleum sibi noceat. Diebus tamen dominicis carnibus promiscue, et piscibus utitur.

Quæritur 1. Quodnam Præceptum est quadragesimale Jejunium, et in quo consistit? 2. Quinam fuit antediluvianorum Cibus? 3. An Zacchæus sit rite dispensatus? 4. An diebus Dominicis possit prædictis cibis promiscue uti?

RESOLUTIO.

I. QUemadmodum Principum, Regumque est juxta D. Thomæ doctrinam 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 3. *in corp.* præcepta legalia juris naturalis determinativa tradere de his, quæ ad communem utilitatem in rebus temporalibus pertinent: Pari passu, parique ratione ad Prælatos Ecclesiasticos spectat ea statutis præcipere, quæ ad communem fidelium utilitatem in bonis spiritualibus attinent. Jejunium vero nedum ad culpæ cohibitionem, verum quoque ad elevationem mentis in spiritualia ordinatur. Hinc ajebat D. Augustinus, Sermone de Oratione, et Jejunio: *Jejunium purgat mentem sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum, et humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit.* Quamobrem Jejunium in communi cadit sub præcepto legis naturæ; Sed temporis determinatio, et modi jejunandi secundum convenientiam, et utilitatem Populi Christiani, sub juris positivi Præcepto cadit, quod est a Prælatis Ecclesiæ institutum.

II. Quam-

II. Quamvis autem jejunium Præceptum dicatur Ecclesiasticum, implicita tamen divina præordinatione Fidelibus demandatum esse apertissime liquet ex Christi Domini Jejunio; de quo dicit Chrysostomus super Mathæum 3. *part. quæst.* 40. *Ut discas quam magnum bonum est jejunium, et quale scutum est adversus diabolum, et quoniam post Baptismum non lasciviæ, sed jejunio intendere oportet; et ipse* (Christus) *jejunavit, non eo indigens, sed nos instruens*. Hinc in Synodo Moguntina VI. hæc habentur: *Eos vero, quos necessitas nulla excusat etiam ad statuta Ecclesiæ jejunia observanda inducant, ipsumque jejunium esse Præcepti divini doceant*. Quapropter Ecclesia Christum Dominum Jejunii auctorem agnoscens in quadragesimalibus Orationibus canit: *Populum tuum quæsumus Domine propitius respice, et quos ab escis carnalibus præcipis abstinere, a noxiis quoque vitiis cessare concede*. Merito igitur Theologi sentiunt, Jejunium quoad substantiam præceptum esse divinum, quoad modum vero, et tempus esse Ecclesiasticum.

III. Modum hunc in abstinentia a pluribus refectionibus, necnon et a certo ciborum genere secundum Ecclesiæ regulas consistere, fuit semper constans traditio, ac Christifidelium praxis, teste D. Basilio *hom. I.* de Jejunio, ubi inquit: *Carnes non edis, a vino abstines, vesperam expectas, ut cibum sumas*. Nihilo tamen minus non defuerunt quidam, qui Christianorum vitam mulcere tentantes, Jejunii essentiam in sola quorumdam cibo-

rum

rum abstinentia ponere veriti non sunt. Ex quo autumabant dispensatos a talium ciborum abstinentia, dispensatos quoque existere ab abstinentia plurium refectionum. Sed Sanctissimus Dominus Benedictus XIV. Bulla data Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis universis incipiente: *Non ambigimus*, opinionem hanc funditus eradicavit, penitusque rejecit. Stat igitur Jejunium esse abstinentiam a pluribus refectionibus, certoque ciborum genere secundum Ecclesiæ regulas.

IV. Quinam vero fuerit antediluvianorum hominum cibus, quod secundo loco quæritur, quæstio est, quæ Theologorum, Philosophorumque mentes divexavit semper, et nunc quoque divexare non desinit. Volunt enim nonnulli illius ævi Homines a carnium, et piscium usu perpetuo abstinuisse: Adversantur alii contendentes sicuti nos, ita quoque antediluvianos Homines carnibus, et piscibus vesci solitos. Secunda opinio hisce præsertim innititur fundamentis. Primo, quod Abel fuit Pastor Ovium. Pastores igitur, inquiunt, illo tempore erant. At quo fine si carnibus vesci prohibebatur? Secundo, antequam animalia in arcam ingrederentur, munda ab immundis separavit Deus. Cur hæc separatio, si nec munda, nec immunda edere Homines poterant? At ni mea me fallat opinio, facilis videtur harum rerum solutio. Pastores enim erant, non ut carnibus uterentur, sed ut pellibus, quibus induerentur; cum nondum artes inventæ fuerunt, quibus laneæ vestes con-

strue-

struerentur. Munda vero animalia ab immundis secernebantur, quibus utebantur, ut Deo sacrificarent: Constat enim ex Scriptura in primis mundi incunabulis animalium sacrificia Deo oblata fuisse. Hinc quamvis ego hujusmodi non sim, ut tantas valeam componere lites; attamen pensitatis in utramque partem rationum momentis, probabilius illis adhærendum arbitror, qui carnium, et piscium usum antediluvianum inficiantur. En quapropter rationes, quæ mihi prævalentes videntur.

V. Prima. De Cibo antediluviano hæc Deus Adamo præscripserat: Gen. Cap. I. V. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint Vobis in escam.* De carnibus vero, et piscibus nulla fit mentio; quæ sane fieri debuisset, si istas, quomodo herbas, et fructus in escam Deus Adamo, posterisque ejus largitus foret.

VI. Secunda. Illico post diluvium ita Deus Noe locutus est: *Gen. Cap. 9. v. 3. Et omne quod movetur, et vivit erit vobis in cibum; quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.* Si igitur antediluvianis hominibus Carnium usus fuisset, inutilis sane fuisset hujusmodi Dei permissio Noe, posterisque ejus facta in sempiternum. Nonne defacto perridiculus Princeps foret, si nunc edictum promulgaret, quo nobis facultatem largiretur vescendi panem, et vinum bibendi? Edicta enim, quæ rei alicujus permissionem faciunt, sub-

supponunt rem eamdem in antecessum fuisse vetitam: Atqui Deus Noe post diluvium facultatem dedit carnibus vescendi: ergo ante Diluvium prohibitus erat Carnium usus. Observanda quoque sunt in eo testimonio hæc verba: *Quasi olera virentia tradidi vobis omnia*. Quæ sane verba nullam aliam interpretationem habere possunt, quam istam, scilicet: Sicuti retroactis temporibus olera in cibum vobis tradidi, ita nunc oleribus addo quoque carnes vescendas, ut carnes sint Vobis sicuti olera in cibum. Si itaque carnes post diluvium additæ sunt; ergo ante diluvium solis oleribus homines vescebantur.

VII. Tertia denique est antiquorum Scriptorum, non Hæbrorum modo, verum quoque Ethnicorum consensus. De Hæbreorum auctoritate invictum testimonium refert S. Hieronymus contra Juvenianum. De Paganis vero Dicæarchus in Libro antiquitatum. Unde Ovidius Metamorphosis *lib. V.* eleganter scripsit

Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fætus, montanaque fragra legebant,
Cornaque et in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.

Et de victu Pythagorico cecinit Cocchi

At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen
Fœtibus arboreis, et quas humus educat herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.

Hinc extra omnem dubitationis aleam admittendum est de quolibet antiquo facto unanimem antiquorum Scriptorum consensionem argumentum esse

esse apodicticum, si criticis regulis stare velimus. Quapropter in utramque partem rationibus perpensis standum videtur eorum opinioni, qui antediluvianos Homines a carnium esu abstinuisse propugnant. Hinc si antediluviani Homines carnibus abstinebant, et tamen cordati, et robusti tam longo vivebant tempore, ut nongentos quoque annos perdurarent; non poterunt nostræ ætatis Christiani per quadraginta tantum dies in anno? Mirum profecto! Eo magis mirum, quia neminem illorum, qui quadragesimale Jejunium caute semper custodierunt, adhuc scimus carnis abstinentia enectum fuisse.

VII. Ex his igitur omnibus cum distinctione de tertia quæstione procedendum duximus. Aut Zacchæus certo scit oleum sibi nocere cum infirmitatis incurrendæ periculo; aut incommodum aliquod solum ex oleo, ciboque quadragesimali sibi obventurum. Si primum, obtenta prius, a legitimo Superiore licentia, rite dispensatus existit. Cum enim Jejunium quoad modum præceptum sit ecclesiasticum, ipsum cum periculo vitæ, aut salutis discrimine non obligare consentiunt omnes, et patet ex Concilio Toletano VIII., ubi Cap. 1. statuitur: *Ut quisquis sine inevitabili necessitate, atque fragilitate ætatis diebus Quadragesimæ carnis esum præsumpserit attentare; tanquam reus Dominicæ Resurrectionis, et sacra communione privetur in Pascha, et per integrum Annum a carnibus abstinere cogatur*. Patet ex Libro 3. *Decretal. de observat. jejun. Cap. Consilium nostrum*, ubi Bracharensis Archiepiscopus consuluit Inno-

centium III. Summum Pontificem, utrum non etiam puniendi essent, qui egestate, et qui imbecillitate urgente, carnes vetitis diebus comederant? Et responsum est, non puniendos quidem; tamen pro, et cum illis preces fundendas, ne ipsis aliquatenus imputetur. Patet denique ex D. Gregorio Magno, qui *Epist.* 34. *lib.* 2. hortatus est Marianum Episcopum Ravennatensem, ut jejunium solveret ob eruptionem sanguinis, quam patiebatur. Dixi tamen, obtenta prius legitimi Superioris licentia; quia Episcoporum est, vel alterius de ipsorum commissione, Dispensationem a quacumque Jejunii parte Fidelibus Populis impertiri. Ad Medicos vero impotentiam jejunandi in individuis spectat agnoscere, scrutari, et adducere; ac per consequens isti absque piaculo similes facultates dare non possunt, quia hoc est temeratam manum in Arcam Domini Sabaoth attollere.

VIII. Si autem Zacchæus ob quoddam incommodum tantummodo præfatam Dispensationem præoptavit; Dispensatio prorsus irrita est, et caro Zacchæo mortifera. Ita Jejunii finis demonstrat, qui est corporis maceratio, itaut unusquisque dicere possit cum Psalmista: *Genua mea infirmata sunt propter oleum*. Ita Ecclesia a suis Fidelibus exposcit. Ita denique ob vitia comprimenda, elevandam mentem, acquirendam virtutem, præmiaque accipienda, ad quæ omnia instituta est Quadragesima, carnem nostram atterendam esse jejunio, constans Traditio suadet. Hinc D. Augustinus *Serm.* 77. *de tempore* inquit: *Deser-*

sertum est Corpus nostrum, cum abstinentia marcescit caro, siti pallor obducitur, et contemptu rerum totius hominis species inculta sordescit. Tunc Christus Dominus habitat desertum pectoris nostri, cum nostram terram fame squallidam, et siti aridam esse reperit.

IX. Tandem etsi Zacchæus rite fuerit dispensatus, facultatemque vescendi carnibus obtinuerit; non posse nequidem Diebus Dominicis promiscue carnem, et pisces edere, definivit Summus Pontifex Benedictus XIV. Bulla incipiente: *Si fraternitas tua*, ubi inquit: *Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet, unicæ in diem comestionis, et non permiscendarum epularum. Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari... Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas. Epulas interdictas esse pisces, adeoque utramque simul adhiberi non posse.*

Disquisitio Secunda.

Diocletianus quadragesimæ tempore a mane ad vesperas usque laboribus vacat, cum quibus Jejunium haud conjungi valet. Sunt tamen ipsi et prædia, et pecuniæ, quibus potest sibi, et familiæ secundum proprium statum consulere, quamvis a continuo labore cessaret.

Quæritur: An peccet non jejunando; et a labore teneatur desistere pro jejunii adimplemento?

RESO-

RESOLUTIO.

I. Non habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem, inquit S. Cyprianus. Quem igitur non terreat hæc S. Martyris sententia, si Matris nostræ Ecclesiæ Præceptum non audierimus, quæ ab Apostolorum tempore imperat nobis, et inculcat quadragesimale Jejunium? Omnes igitur, ut Deum habeant Patrem, sanctificare debent quadragesimale Jejunium.

II. Hinc sua sponte fluit Diocletianum non jejunando Ecclesiæ Matri non obedire, graviter delinquere, Deoque indignum evadere. Quapropter D. Thomas 4. *Sent. dist.* 15. *quæst.* 3. *art.* 2. inquit: *Si jejunando possunt competenter victum pro Persona sua habere, et pro familia, cujus cura eis incumbit, (sive quia alias divites sunt, sive quia de eo quod minori labore fit, qui simul secum jejunium compatiatur, lucrari sufficientia possunt), a jejunio non excusantur*. Atqui Diocletianus, absque eo quod tam continuo vacet labori, sufficientia habet, ut sibi, et familiæ competenter consulat; ergo tenetur ad jejunium, ac a labore cessare. Christianorum enim est, ex Domini Præcepto, sollicitos non esse quid manducent, aut quid bibant, aut quo operiantur; multo minus quomodo adaugeant fortunis; Sed quærere primum Regnum Dei, ejusque justitiam fideli mandatorum observantia, quæ Deus ipse, et Ecclesia nobis injungunt. Abstineat igitur Diocletianus a labore, et Ecclesiæ obediat.

III. Quia

III. Quia vero dari aliquando possunt labores quidam ita necessarii, et impendentes, ut moram non admittant, nec præsto sint Operarii ad illos exequendos, hoc in casu, cum gravis adsit necessitas, potest Diocletianus ad laborem sine piaculo incumbere, et insimul jejunium omittere; quia Ecclesiastica Præcepta cum gravi necessitate non adstringunt, ut norunt omnes.

Disquisitio Tertia.

Tirillus sæpe sæpius Quadragesimæ tempore, et præcipue diebus festis totum terit diem ludendo, et bibendo.

Quæritur: An hoc cum jejunio, et Festorum sanctificatione componi queat?

RESOLUTIO.

I. QUæritur hac in Disquisitione, utrum cum Jejunio, et Festorum sanctificatione repugnent potationes, et ludi, quibus per maximam diei partem Tirillus sæpe sæpius Quadragesimæ tempore solet indulgere. Quod ad Jejunium spectat D. Thomas 2. 2. *Quæst.* 197. *art.* 6. arbitratur: *Jejunium non frangi ab eo, qui sæpe etiam in die vinum biberet.* Ex adverso innumeri pene magni nominis Theologi pro opposita Sententia veluti pro aris, et focis decertant. Isti antiquam disciplinam appellant, quæ jejunii diebus aquam quoque bibendam gravissime prohibebat; ut de jejunio Nini-

nivi-

nivitarum, et Hæbreorum Jonas *Cap.* 3. et Esdras *Cap.* 10.; Necnon de antiquis Fidelibus Gregorius Nissenus in Oratione de Jejunio, Fructuosus Terraconensis Episcopus, Prudentius, Rufinus, Auctor Sermonis, qui quondam D. Ambrosio adscriptus fuerat, luculentissime testantur. Addunt quoque authoritatem Ecclesiæ, quæ canit: *Carnis terat superbiam, potus cibique parcitas*. Contra vero S. Thomas Ecclesiæ praxi innititur, quæ nunquam violati jejunii reos condemnavit illos, qui vinum infra diem bibissent. Quæquæ sicut plures commestiones in jejuniis vetavit, prohibuisset quoque usum vini infra diem, si quomodo illas, istum quoque Jejunii naturæ adversari cognovisset. Ita Auctores hac in re mutuo inter se digladiantur. Nec ego tot Virorum doctrina, et sanctitate spectabilium Judex esse queo: Unde hic illud Poetæ usurpare liceat: *Non ego tam magnam possum componere litem*.

II. Ut vero aliquid certum stabiliamus, ex quo saltem in praxi conscientiarum tam anxios scrupulos cavere, quam præcipitem laxitatem moderari queamus, firmiter tenendum est, nempe, vini, aliorumque liquorum potum extra refectionem non ad sitim extinguendam, sed ad sedandam famem, et ideo in fraudem jejunii adhibitum, illicitum esse, et jejunii naturæ penitus opponi. In hac regula cum D. Thoma Theologos omnes consentientes habemus, qui in tali circumstantia veluti erroneum principium illud rejiciunt, scilicet: *Liquida non frangunt*. Porro liquorum quorundam tanta est vis, et efficacia, ut, quomodo con-

constat ex nuperrimis Regiæ Parisiensis Accademiæ experimentis, alii nullos comedendo cibos, sed aliquos dumtaxat adhibendo liquores quindecim, alii sexdecim, et ultra dies integra valetudine vixerint. Compertumque est eos, qui nimium vino indulgent, cibo quoque modico sustentari. Tirillus igitur si in diebus jejunii vinum sæpe sæpius bibit eo dumtaxat fine, ut famem mulceat, et jejunii asperitatem declinet; ultra intemperantiæ læsionem, jejunium quoque fregit, et læthaliter peccavit.

III. Quod pertinet ad secundam Quæstionis partem, nempe, Utrum sanctificationi Festorum repugnet, quod Tirillus diem pene totum ludendo insumat, dico: Tirillum si ob tantam ludorum exercitationem divinis functionibus, cathechesibus, sacrisque Officiis nunquam, vel raro intersit, et pietatis opera penitus negligat, quæ in diebus Deo dicatis exercenda sunt, gravis peccati reum esse. Neque enim arbitrandum est Festorum sanctificationem in eo dumtaxat sitam esse, ut quis a servilibus operibus abstinens, toto die otiose vivat. Hanc opinionem S. Ioannes Chrisostomus omni argumentorum genere confodit *Hom. 1. de Lazaro*, ubi ait: *Judæi putant sibi Sabatum otii gratia datum fuisse. Verum non ista est causa, sed potius, ut abducti a curis rerum temporalium otium omne consumerent in spiritualibus*. Quoniam igitur Iudæi corporalium rerum curis liberati non vacabant spiritualibus, et audiendis divinis Sermonibns: Sed econtrario servientes ventri, indulgentes æbrietati, cibisque delician-

liciantes, audi quomodo eos reprehendat Deus per Isajam: *Neomeniam, et Sabatum, et Festivitates alias non feram. Iniqui sunt cætus vestri: Calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea, et facta sunt mihi molesta.* Iudæis, quos Chrisostomus increpat, similis est Tirillus, qui dies Festos pæne totos ludendo, et bibendo consumare solet. Unde sicuti illi, ipse quoque juxta Isajæ testimonium Dei odium, et indignationem provocans, læthalis culpæ reus evasit.

IN TERTIUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.

Disquisitio Unica.

Tempore Paschali Irtacus singula sua delicta apud Confessarium deponit, ut Ecclesiæ Præcepto satisfaciat; omittit tamen circumstantias peccati speciem mutantes, quia certo credit attendendam non esse Doctrinam Tridentini Concilii, qua Patres illi Sessione 14. Cap. 5. *decreverunt*: Etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant; *utpote omni Traditioni incognitam, futilibusque rationibus suffultam.*

Quæritur 1. *Quomodo sit revincendus?* 2. *An Ecclesiæ Præcepto fecerit satis?*

RESO-

RESOLUTIO

I. TRidentini Patres religiosissime Traditiones servarunt, eisdemque adhæsere: Hinc fallitur Irtacus, et ante ipsum temerario, et inscite mendacium istud docuit Pater Suavis.

II. Cum enim Ecclesia Christi Apostolica dicatur, et sit, non quia dumtaxat fundata ab Apostolis fuerit, sed præcipue quia Fidei, morumque Dogmata ab Apostolis recepta intacte ubique, et semper tecta servat, servavitque; necessario consequitur, doctrinas omnes, quas Apostoli non docuere, aut hæreticas esse, aut validissimam hæresis suspicionem præseferre. Hic est lydius lapis, et tessera, qua Veritas ab errore, Christi Oves a Lupis, Christiani ab Hæreticis secernuntur. Hæc est firmissima illa Petra, et lapis angularis, doctrina, nempe, et fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, in quo Christi Ecclesia superædificatur. Huic doctrinæ adhæsere Tridentini Patres, dum decrevere: *Etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant.*

III. Decretum hujusmodi, quod per summam aut inscitiam, aut calumniam omni antiquitati incognitum, et Traditioni inauditum Irtacus cum suo Magistro Suavi prætendit sustinere; Ab Apostolis ipsis non modo sancitum, verum quoque praxi mandatum, et consecratum innumeris juris, et facti argumentis, Historia sacra demonstrat.

IV. Anania, et Uxor sua Saphira agro di-

vendito pretii portionem sibi servarunt, et mentiti sunt Petro interroganti, an tanti vendidissent. Mendacium hujusmodi, si circumstantias considerare nolimus, venialis dumtaxat culpa fuit. Nam simplex fuit Assertio, quæ nemini nocebat, et solummodo pretii recepti veritatem occultabat. At cum ex circumstantia Loci, et Personæ prolatum fuerit in faciem Ecclesiæ, Petro interrogante, gravissimum scelus evasit repentina utriusque morte mulctatum: *Non es mentitus Hominibus*, dixit Petrus Ananiæ, *sed Deo*. *Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini?* Dixit Saphiræ. En nitidissimum Exemplum, quo invicte docemur Apostolos circumstantias peccatorum, quæ speciem mutant, non modo accurate novisse, atque pensitasse, verum quoque gravissimis pœnis punivisse.

V. Alterum exemplum ab ipso D. Paulo de Corinthio incæstuoso nobis ministratur. Omnino auditur inter vos, scribebat Paulus, fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, itaut Uxorem Patris sui aliquis habeat. Noverat igitur Paulus hujus Corinthii crimen non simplicem fornicationem esse, sed alterius gravioris speciei, quam nos incæstum dicimus, utpote cum Uxore Patris sui perpetratum. Quare eadem a Paulo appellatur fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes; et ob hanc circumstantiam hominem illum tradidit Satanæ in interitum carnis, nempe, atrocissimo anathematis fulmine confixit.

VI. Tertium exemplum: Cum Paulus venisset Antiochiam, invenit Cepham, Barnabam, cæterosque Judæos, qui a quibusdam ciborum generi-

neribus abstinebant; quibus tamen vescebantur, quando edebant cum Gentilibus recenter ad Christum conversis. Equidem abstinere a quibusdam cibis uno tempore, et tempore alio iisdem vesci, est actio natura sua indifferens; attamen in ea circumstantia, in qua judaizare prohibitum erat, grave scelus fuit; unde Paulus restitit in faciem Cephæ, ipsumque increpavit, inquiens; *Si tu, cum Judæus sis, gentiliter vivis, et non judaice; quomodo gentes cogis judaizare?*

VII. Si igitur Apostoli leve mendacium in Anania, et Suphira morte mulctarunt. Si Fornicarium Corinthium anathemate confixere: Si ciborum abstinentiam grave Judaismi crimen judicavere; evidens est eas peccatorum circumstantias estimari voluisse, quæ eorumdem malitiam gravissimam faciunt, et eorumdem speciem permutant. Quare qua fronte, qua fide dicere potuit Irtacus, Præceptum explicandi circumstantias, quæ peccati speciem mutant, Apostolis, omnique Traditioni fuisse incognitum?

VIII. Putidissimam hanc calumniam evidentius demonstrant Canones Pœnitentiales, quorum plurimi ab Apostolis sanciti fuere; Unde *Apostolici* non raro a SS. Patribus appellantur. In hisce non modo circumstantiæ omnes peccatorum expenduntur, verum quoque pro diversis circumstantiis, et diversa earumdem gravitate, diversa quoque pœnarum genera stabiliuntur, quas Confessarii Pænitentibus imponere debebant. Canonum Pænitentialium usum, et observantiam scrupulose SS. Ecclesiæ Patres, Concilia, Romanique

que Pontifices ab ipso Ecclesiæ exordio ad nos usque omnibus Confessariis præceperunt, inculcarunt, commendaruntque. Apostolorum itaque praxi, et constanti sæculorum omnium Traditioni adhæsere Tridentini Patres, dum scripserunt etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant.

IX. At Pater Suavis nostri Irtaci Antesignanus inquit. Temporalibus Flagellis a Deo inflictis, et a nobis patienter tolleratis, pro peccatis satisfacere possumus; prout *Cap. 9.* ejusdem Sessionis ipsimet Tridentini Patres docent. Nulla igitur est necessitas, ut Confessarius noscat peccatorum circumstantias, et congruas peccatis satisfactiones imponat.

X. Respondeo: Si res ita sese habeat, prout Suavis præsumit, cur Ananiam, et Saphiram repentina morte Petrus mulctavit; cur Paulus Corinthium incæstuosum anathemate confixit; cur denique Apostoli, eorumque Discipuli, Sanctique omnes Ecclesiæ Patres Canones Pœnitentiales decrevere, observandosque in pœnitentiis imponendis imperarunt? Inutilia sane hæc omnia fuissent, si flagellis a Deo inflictis satisfacere pro peccatis utique possumus. Frustra quoque, et perridicule Christus clamabat: Pœnitentiam agite, et dignos facite pœnitentiæ fructus, si tota pœnitentiæ natura in flagellis a Deo inflictis, et patienter tolleratis sit constituenda. Argumentum itaque P. Suavis, si quid in favorem Irtaci valeret, non modo Tridentinos Patres, sed et Apostolos, Sanctosque Ecclesiæ Patres, et ipsius Christi oracula temera-

merario ausu æqualiter adgreditur. Flagella equidem a Deo infliguntur, prout ipse est Naturæ Auctor: Pœnæ, quæ in Sacramento Pœnitentiæ imponuntur, a Deo præscribuntur, prout est Auctor Gratiæ. Naturalia flagella si patienter tollerantur, juvant equidem; Sed ex Opere Operantis juvant: Sacramentales vero Pænitentiæ ex meritis Christi Domini, ac proinde ex opere operato proficiunt. Immensum hoc discrimen apertissimè demonstrat Tridentini Decreti sanctitatem, P. Suavis inscitiam, et nostri Irtaci calumniam.

XI. Hinc deducimus Irtacum Ecclesiæ Præcepto haud satisfecisse. Ecclesia enim hoc Præpto exigit suorum Fidelium cum Deo sinceram pacem, veramque reconciliationem per Pœnitentiæ Sacramentum: Sed qui invalidam reddit Confessionem, nec reconciliatur cum Deo, nec suscipit Sacramentum; ergo nequidem Ecclesiæ Præcepto satisfacit. Atqui Irtacus ob suam temeritatem, ut constat ex dictis, nullam reddit suam Confessionem; Igitur Ecclesiæ Præceptum non adimplet: Merito quapropter Alexander VII. hanc damnavit Propositionem. *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit Præcepto Ecclesiæ.*

IN QUARTVM ECCLESIÆ PRÆCEPTVM

Disquisitio Unica

Ad vitandam publicam peccatoris occulti infamiam Sacramenta ministranda sunt, si petat. Hinc

Gobatius Parochus ad cavendam propriam mortem Clodio petenti Eucharistiam tempore paschali administrat, quamvis sit publicus concubinarius, et facinorosus.

Quaritur 1. An praxis hujusmodi sit approbanda? 2. An peccet Clodius contra Ecclesiæ Præceptum, si inabsolutus judicio Confessarii abstineat communicare?

RESOLUTIO.

I. GObatius celebris fuit sæculi decimisexti Scriptor, qui cùm universam moralem Disciplinam juxta probabilisticum sistema pertractaverit; ideo inter alías propugnavit quoque, Sacramenta publico peccatori danda esse in casu, quo Sacerdoti periculum immineret amittendi vitam, aut famam, si Sacramenta negaret. Audiamus igitur ipsius praxis theoriam. Ex justitia, inquit, et charitate non teneor magis diligere proximum meum, quam meipsum. Si peccator occultus Sacramenta petat, eidem danda sunt, ut ejus fama servetur; Hinc Christus Judam communicavit. Ergo a fortiori Sacramenta dare debeo peccatori, ut servem famam, vitamque meam. Hinc ad cavendam mortem Clodio publico concubinario, et facinoroso Eucharistia est administranda. Fuse hujusmodi rationes prosequitur hic Auctor, quas transcribere, ac recitare non refert.

II. Veniamus vero ad ipsius ratiunculas excutiendas. Peccatori equidem occulto danda sunt Sacra-

Sacramenta, si petat, quia peccator occultus integrum jus habet ad publicam famam. At hinc non licet inferre publicis quoque peccatoribus Sacramenta ministranda esse, si isti famam, vitamque nostram minitentur. *Nolite projicere margaritas ante porcos: Non sunt danda sancta canibus*; Sunt Domini præcepta Sacerdotibus præsertim, nempe Dispensatoribus suis inculcata. *Quilibet Dispensator Mysteriorum Dei*, inquit Apostolus, *debet esse servus fidelis, et prudens*. At quæ fidelitas, quæ prudentia, si Sancta canibus largiamur, et ob caducæ vitæ periculum margaritas ante porcos projiciamus?

III. At inquit Gobatius: Non teneor diligere magis proximum meum, quam memetipsum. Si ergo ad servandam proximi mei famam possum Sacramenta peccatori elargiri, cur non queam ad servandam meam vitam? Respondeo: Non teneris equidem diligere proximum tuum magis quam teipsum: At teneris diligere magis Christum, quam tuam vitam. Christus enim dixit: *Qui diligit animam suam plusquam me*, non *est me dignus*. Debes igitur Animam tuam odio habere, vitamque millies quoque immolare, ut Christum lucrifacias. Publicis peccatoribus Sacramenta deneganda firmissime sunt ex Christi præcepto, ut supra demonstravi. Ergo nemo te separet a charitate Christi neque mors, neque vita, neque fames, neque sitis, neque quodcumque hujus Sæculi periculum: Noli timere eos, qui corpus occidere possunt; aimam autem occidere nequeunt; sed time eum, qui potest et Animam, et Corpus perdere in gehennam.

IV. Hinc

IV. Hinc quæritur secundo: Si Gobatius in se reversus, suaque opinione spoliatus remitteret Clodium ob sua publica facinora inabsolutum, usque dum signum resipiscentiæ ostendat; ac per consequens Clodius tempore Paschali ad sacram non valeret accedere Synaxim; quæritur inquam, an Clodius reus trangressionis Ecclesiastici Præcepti sit adjudicandus? Minime dicimus: Nam hujus præcepti obligatio hoc in casu consideranda est sicuti obligatio restitutionis. Sed peccatum non est quando quis vel physice, vel moraliter restituere non potest; Ita non peccat Clodius non communicando, cum sit moraliter impotens ad Præceptum hoc adimplendum. Ultraquamquod Lateranense Concilium, dum Paschalem injungit Communionem, permittit quoque, ut ob rationabile motivum cum proprii Sacerdotis consilio illa differri possit, dicens: *Nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum*. Motivum vero rationabilius non reperitur illo, scilicet, ne Clodius judicium sibi manducet, non dijudicans Corpus Domini: Et non modo consilium intervenit, sed expressum mandatum proprii Sacerdotis, nempe, Confessarii, qui hoc in casu ut a propriis Animarum Pastoribus delegatus est proculdubio adjudicandus. Ut obediens igitur Ecclesiæ præcepto, non ut transgressor esset in casu Clodius existimandus.

IN

IN QUINTUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.

Disquisitio Unica.

Tempore Adventus Parochus conjungendo in Matrimonium Hermogenem, et Lucillam ex nobili genere descendentes, Missam pro Sponsis assignatam celebrat, ut ipsi præoptabant, ac interim nuptiales tribuit illis benedictiones.

Quæritur 1. Quare tempore Adventus, et Quadragesimæ Nuptiæ interdicantur, et quomodo? 2. An præfatus Parochus peccaverit; et num in aliquam inciderit pœnam?

RESOLUTIO.

I. QUum mæroris sit tempus Adventus, et Quadragesimæ, prout Ecclesia ipsa omissione Canticorum lætitiæ, usu cærulei coloris, jejuniorum præscriptione, sollicite nos admonet; ideo particulari studio a Christifidelibus præfato tempore seponendæ sunt profanæ mundi oblectationes, et illecebræ, convivia, choreæ, nocturni conventus, ludi cantilenæ, et similia. Hinc quia in Nuptiis naturale est, et in Scripturis Christi exemplo probatum, convivium agere, vocare cognatos, et amicos, ut ipsi quoque veniant in partem gaudii, et convivii nuptialis; non immerito Ecclesia pia nostra mater istas per tale tempus prohibuit; ut omnes vigilarent orationi, et jejunio, cunctasque vires intenderent ad hasce solemnitates magno cum fructu celebrandas.

II. Quo vero tempore, qualique Ecclesiæ Sæculo solemnes nuptiæ prohibitæ quibusdam anni temporibus habeantur, nihil certum reperiri potest. Indubitatum tamen est hanc laudabilem consuetudinem ab antiquissimo tempore sortitam fuisse exordium. Antiquo enim jure solemnes nuptiæ ab initio Adventus usque ad Epiphaniam, a Septuagesima usque ad Paschatis Octavam, et denique a diebus Rogationum usque ad Octavam Pentecostes interdictæ omnino erant. De qua re extant Decreta Conciliorum antiquorum, et Pontificum apud Gratian. 33. *quæst*. 4., et inter alia Concilii Laodiceni Cap. 25.

III. Hujus prohibitionis ratio facillime desumitur, quia toto anno Festa omnium celeberrima sunt hæc tria, nempe, Nativitas Domini, Pascha ejusdem, et Pentecosten; et in his tenebantur omnes Christi fideles sacram sumere Eucharistiam, ut constat ex Concilio Agathensi *Can.* 18. Solemnitas autem nuptiarum res est magnæ distractionis, cum convivia, aliique apparatus fieri soleant. Ut igitur Christiani Homines sine impedimento ad ea festa spiritualia, et ad Sacramentum Eucharistiæ suscipiendum parati invenirentur, optimo consilio tribus dictis temporibus nuptiarum solemnitates ab Ecclesia vetitæ fuere. Istam tamen prohibitionem Concilium Tridentinum Sess. 24. *Cap.* 10. *De matrimonio* temperavit, atque ad duo tantum tempora redegit; quapropter ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam, et a die Cinerum usque ad Octavam Paschatis solemnes nuptias interdixit.

IV. Contra ergo tam utilissimam Legem agens Parochus, nuptias, scilicet, solemniter benedi-

cens læthaliter delinquit. Qui enim non observat, quæ Concilia jubent, Ecclesia intendit, proprium Officium exposcit, læthalis peccati reus proculdubio est adjudicandus, nemini ignorantia suffragante. Atqui Parochus noster Ecclesiæ intentionem, Concilii Tridentini mandatum, sui Officii munus pessumdat, tempore vetito nuptiales tribuendo benedictiones; nam Rituale Romanum inquit: *Meminerint Parochi a Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniæ, et a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive solemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, Sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia*; Ergo mortaliter peccat.

V. Num vero in aliquam inciderit pœnam, quæ erat ultima Quæstio: Respondemus in nullam, nisi in pœnam arbitrariam. Nam ea, quæ jure definita non sunt, Judicis arbitrio demandantur, ut late probat Menochius *lib. I. de arbitr.* Paludanus 4. *dist.* 32. *quæst.* 1. *Art.* 4., et alii, qui referuntur a Sanchezio *lib.* 7. *de impedimentis*, *disput.* 7. Atqui Tridentina Synodus nullam inflixit pœnam contra solemniter nuptias tempore vetito benedicentes; Ergo arbitraria solummodo pœna in foro externo Parochus noster plectendus est.

Immensam Præceptorum Segetem paucis his, quæ hac in Secunda Parte propono, placuit comprehendere, o Venerabiles Sanctuarii Administri, ne patientiam vestram inurbane defatigarem. Vos interim, ex quorum ore debent Oves curæ vestræ concreditæ Legem requirere, ac ipsius explicationem efflagitare, non pigeat, quæso, illas ha-

rum Disquisitionum facere participes. Forsan de aliquibus respondebunt: *Durus est hic sermo; et quis poterit eum sustinere?* At Vos mementote Doctrinæ D. Joannis Chrisostomi, qui in *Psalm.* 111. hæc Prophetæ Verba expendens: *In mandatis ejus volet nimis*; difficultatem hanc penitus eradicavit, inquiens. *Amor in Legislatorem facilem, et gratam facit Legem, etsi videatur aliquam habere difficultatem. Nemo autem, quod dico, reprehendat, si tali exemplo usus sum. Nam Paulus quoque eo usus est, sic dicens:* Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, ita exhibete Justitiæ. *Qui meretricis itaque amore captus est, etiamsi afficiatur probro, et contumelia, etiamsi verberetur, etiamsi se turpiter, et indecore gerat, etiamsi expellatur e Patria, etiamsi bonis paternis evertatur, etiamsi Patris benevolentia privetur, etiamsi graviora patiatur; ea fert jucunde, et lubenter propter amorem impudicum. Quod si illa cum voluptate suscipiunt; quomodo non multo magis Dei Præcepta, quæ sunt salutaria, et gloriæ plena, et animam meliorem efficiunt, oportet cum magna voluptate suscipere, et nihil esse difficile in eis existimare? Difficultatem enim, non natura Præceptorum, sed multorum solet socordia efficere. Itaque si quis ea cum studio, et alacritate animi suscipiat, videbit ea esse levia, et facilia. Quocirca dicebat Christus:* Jugum meum suave est, et onus memum leve. Hæc in Casu illis reponite, ut eorum conscientiæ indemnitati consulere valeatis.

Finis Secundæ Partis.

